

Sancto, et nullam aqua, dicens (v. 6): *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* — Haec Durandus, in forma.

II. Argumenta Scoti. — Contra eandem conclusionem arguit Scotus (dist. 4, q. 5), probando quod nulla virtus supernaturalis sit in sacramento.

Primo sie: Quia, si illa virtus supernaturalis, est in sacramento: aut est ibi indivisibiliter; aut divisibiliter (id est: tota in toto et in qualibet parte; aut tota in toto, et pars in parte). Non primo modo: quia inter omnes formas perficientes materiam corporalem, sola intellectiva ponitur talis. Nec secundo modo: quia tunc extenderetur per accidens in subjecto; quod est contra rationem virtutis spiritualis.

Secundo. Quia in sacramentis requiruntur multa verba. Vel ergo in qualibet syllaba esset eadem virtus omnino; vel in alia et alia syllaba esset alia et alia virtus. Si primo modo, tunc oportet dicere quod idem accidens migraret, et remaneret postquam subjectum desinit. Si secundo modo, sequitur quod sacramentum consists in tota oratione, non haberet aliquam virtutem unam. Et si dicas quod habet aliquam virtutem aggregatam ex multis virtutibus partium, — hoc non valet. Quia non esset dare que istarum esset principium causandi illum effectum spiritualem in anima. Nec videtur probabile quod sacramentum unum formaliter, cum hujus formalis ratio sit ex ratione virtutis supernaturalis (z), habeat tot virtutes supernaturales aggregatas.

Tertio. Quero: quando ista virtus supernaturalis causatur in isto sensibili pertinente ad sacramentum? Aut enim ante applicationem ejus ad actum, sive usum; aut in ipsa applicatione. Si ante, igitur ejus causatio (z) est pure miraculosa: quia est per actum divinum, et non per aliquam pactionem perpetuam eum Ecclesia; nam non sequitur ad aliquid propter quod possit dici quasi consequens naturaliter, sine miraculo, sicut est de animatione hominis. Si vero causetur in applicatione ad usum, sequitur inconveniens. Nullum enim instrumentum ideo est formaliter aptum ad usum quia aliquis utitur eo ut instrumento. Patet inductione, et ratione: nam idoneitas instrumenti praecedit naturaliter usum instrumenti, ut instrumentum est. Igitur non quia immervo puerum, sive utor aliquo sensibili ad actum sacramenti, ideo recipit illam virtutem spiritualem. Non est ergo dare quando recipiat.

Quarto. Quia hic ponitur pluralitas sine necessitate. Non enim patet necessitas talis virtutis, qua singitur in sacramento. Neque secundum rationem naturalem; manifestum est. Neque secundum fidem: quia, sicut, secundo rationem naturalem, non sunt

ponenda plura, nisi que ratio naturalis concludit, ita, sequendo fidem, non sunt plura ponenda quam veritas fidei requirat; veritas autem fidei non requirit ponere talem virtutem supernaturalem in aqua, vel in verbis; nec aliqua ratio cogit ad hujusmodi pluralitatem, praesertim quia, si poneretur talis virtus, ipsa non causaretur (z) regulariter nisi ex pactione divina cum Ecclesia. Et ita, sine tot superfluis, in aqua et anima intermediis, potest salvare quod pactio divina sit immediata causa respectu effectus conferendi recipienti sacramenta.

Quinto. Quia exempla que adducuntur de virtute recepta in instrumento, non concludunt.

Non quidem illud exemplum de sensibili sermone: nam accipit manifeste falsum. Nam sermo audibilis non habet formaliter in se aliquam intentionem animae. Quod probatur: quia sermo non impositus ad significandum, nullam talem formam habet in se (patet omnibus); per impositionem autem non recipit aliquam absolutam formam, nec relationem, nisi forte rationis. — Hoe (z) etiam probatur aliter: quia, eodem existente agente principali, et instrumento sufficiente, sequitur eadem actio; sed, si latius proferat verba latina græco, idem est agens principale et instrumentum, quod esset si loqueretur alicui latino, et tamen effectus non sequitur, quia nullus conceptus causatur in græco audiente; igitur sermo non erat instrumentum ex se/sufficiens ad causandum animæ conceptum in audiente. Fallit ergo exemplum pro tanto, quia sermo audibilis est signum remotum respectu conceptus: ita quod, facta immutatione sensus ab ipso sermone, et ultius, intellecta natura ejus (y), in quantum talis natura est, intellectus cognoscens ipsum esse impositum ad significandum talem natum; ex collatione ejus ad illud aliud, intelligit illud aliud; non ita quod sermo per aliquam formam causet conceptum de aliqua re; sed ejus conceptus est previus ad conceptum de re, qui (z) causetur per propriam speciem rei, vel phantasmā in anima. Quod patet: quia quantumcumque sermo proferretur, si audiens non haberet in se speciem rei prolate, non causaretur in eo conceptus de illa re. Unde per voces non intelligimus res, nisi quarum species habemus; sed quod eas actualiter consideramus, hoc est propter collationem signi ad signatum.

Item, exemplum de instrumento artificis non concludit. Valde enim impossibile videtur quod aliqua forma spiritualis toties causaretur in serra, quoties moveretur ab artifice, et toties desinat esse, quoties desinit actu moveri.

Item, exemplum de motu non cogit: quia, quo-

(z) causaretur. — crearetur Pr.

(z) hoc. — Quinto Pr.

(y) intellecta natura ejus. — intellectus Pr.

(z) qui. — que Pr.

(x) hujus formalis ratio sit ex ratione virtutis supernaturalis. — hujusmodi formalis ratio fit ex ratione Pr.

(z) causatio. — creatio Pr.

cumque modo substantie causentur a cœlo, saltem⁽²⁾ motus localis cœli non potest esse formale principium producendi eas; igitur, etc.

Sexto. Quia instrumenta artificialia non sunt formaliter activa, sed tantum receptiva unius effectus prioris ordinati ad effectum ultimum. Serra enim non habet in se nisi quantitatem, figuram, et motum localem; de quibus omnibus patet quod non sunt formæ active. Et probatur: quia aliter mathematicus considerans quantitatem et figuram, non abstraheret a motu. Si autem ponatur quod durities sit qualitas activa, — hoc non valet: quia, si Deus, de potentia sua absoluta, aliquod quantum molle conservaret, et in eadem quantitate et figura, movendo ipsum localiter, aequa divideret aliquod corpus, sicut modo instrumentum durum illud dividit; ergo durities, que est qualitas, non est formale principium agendi. Apparet tamen esse, pro eo quod est quedam impossibilitas⁽⁶⁾ resistens corrupti. Manente autem quantitate corporis et figura, non mutato alio, nec corrupto, si localiter movetur, oportet quod expellat aliud proportionatum quantitatì sue ex figuræ; quod non oporteret, si ejus quantitas non maneret, sed cederet. — Probatur etiam propositum. Quia ubicumque est formalis incompossibilitas inter aliqua, unum eorum non expellit aliud active, sed tantummodo formaliter; agens autem quod inducit unum effectum, expellit aliud effectum. Corpora autem videntur habere incompossibilitatem respectu ejusdem ubi, sicut qualitates contrarie respectu ejusdem subjecti. Sicut igitur illud agens effectum inducit calorem, ita frigus expellit; non autem effectum calor expellit frigus, sed tantummodo formaliter. Ita in proposito, de expulsione unius corporis ab ubi per aliud corpus. Divisio autem ligni per serram, vel securum, non est nisi quedam expulsio partium ab ubi ad quod movetur securis ab ipso artifice casendo. Tenendo ergo quod instrumenta artificialia non sunt formaliter activa, sed tantum receptiva cuiusdam prioris effectus ordinati ad effectum ultimum, apparet quo modo sacramentum potest dici instrumentum, licet non habeat propriæ virtutem activam respectu termini, sed sic quod sit effectus prior ordinatus ad gratiam. Et si dicatur quod non est simile, quia sacramentum non suscepit illum effectum priorem, sicut securis recipit motionem; — hoc non obstat. Quia, sicut totum quod recipit effectum priorem, potest dici instrumentum; ita et quodammodo effectus ipse receptus potest dici instrumentum; vere enim potest dici quod per motum serræ lignum dividitur. Sacramentum autem, sive susceptio sacramenti, est effectus ille prior, in proposito. Igitur, etc.

(2) *saltem.* — Om. Pr.

(6) *impossibilitas.* — *incompossibilitas* Pr.

III. Argumentum Aureoli. — Arguit Aureolus (4. *Sentent.*, dist. 26, q. 4, art. 4). Quia in sacramento matrimonii nulla est talis virtus possibilis ponit. Igitur nec in aliis. Assumptum patet. Quero enim ubi est illa virtus infusa in sacramento isto subjective? Quia: aut in conjunctione mutua; aut in verbis, vel in signis. Et patet quod in nullo istorum; quia sola copula carnalis cum verbis de futuro, quandoque causat matrimonium. Item, posito quod talis virtus sit in aliquo predictorum, quero: quid causabit? Aut enim causat primam rem sacramenti, scilicet obligationem; et hoc non potest dici, cum illa sit relatio rationis, et respectu talium non oportet ponere virtutem activam. Nec etiam causat secundam rem sacramenti, scilicet gratiam. Igitur nihil. — Haec ille.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis, cum Dei adjutorio. Et quidem, ad objecta contra primam conclusionem respondendo, praevalendum est quod illa objecta directius sunt contra diffinitionem sacramenti positam ab Hugone, quam contra diffinitionem Magistri; tamen neutrau[m] efficaciter reprobant. Unde, pro intellectu diffinitionis positae ab Hugone, dicit sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 1, q. 1, art. 1, in solutione quaestione quintæ: « Diffinitio, inquit, quinta, scilicet Hugonis, eadem est cum diffinitione quam ponit Magister in littera, hoc excepto, quod addit causam significationis, quae est divina institutio, et causam efficacie, quae est sanctificatio. Idem enim est dictu[m], *materiale elementum exterius oculis suppositum, ex institutione significans, quod invisibilis gracie visibilis forma;* et *ex similitudine representans,* idem est ei quod dicitur, *ut ejus imaginem gerat;* et *ex sanctificatione invisibilem gratiam continens,* idem est ei quod dicitur, *ut causa existat.* » — Haec ille. — Ex quibus patet quod illæ diffinitiones in idem redeunt; et quod argumenta contra unam, sunt contra aliam.

Cum autem primo⁽²⁾ dicit arguens, quod in sacramento matrimonii nulla illarum trium conditionum reperitur, — falsum est. Tuto primo, quia in illo est materiale elementum exterius oculis suppositum suo modo. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 26, q. 2, art. 1, arguit sic, secundo loco:

(2) *primo.* — Om. Pr.

« Sacramentum, secundum Hugonem (*de Sacram.*, lib. I, part. 9, cap. 2), est materiale elementum. Sed matrimonium non habet pro materia aliquod materiale elementum. Ergo non est sacramentum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus qui illo saeramento utitur, sicut penitentia; et ideo, sicut penitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio. » — Hac ille. — Tunc secundo, quia in sacramento matrimonii est significatio ex divina institutione. De hoc sanctus Thomas, in quarto, ubi supra (dist. 26, q. 2), art. 1, arguit sic, quarto loco : « Omne sacramentum novae legis efficit quod significat. Sed matrimonium non efficit coniunctionem Christi et Ecclesie, quam significat. Ergo matrimonium non est sacramentum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod unio Christi ad Ecclesiam nostra est res contenta in isto sacramento, sed res significata, non contenta; et talis res nullum sacramentum efficit. Sed habet aliam rem contentam, et significatam, quam efficit, ut dicetur. Magister autem posuit rem non contentam; quia erat iugis opinionis quod non haberet aliquam rem contentam. » — Hac ille. — Item, in solutione quinti, sic dicit : « In hoc sacramento sunt illa tria que sunt in aliis : quia sacramentum tantum, sunt actus exterius apparentes; sed res et sacramentum est obligatio que intrascitur viri ad mulierem ex talibus actibus; sed res ultimata contenta, est effectus hujus sacramenti; non contenta autem, est res quam Magister determinat. » — Hac ille. — Item, art. 3, in solutione primi, sic dicit : « Sunt aqua baptismi habet quod corpus tangat, et eorum abluit, ex tactu carnis Christi: ita matrimonium hoc habet ex hoc quod Christus illud sua passione representavit, et non principaliter ex aliqua sanctificatione sacerdotis. » — Hac ille. — Tunc tertio, quia in sacramento matrimonii est representatio ex similitudine. De hoc sanctus Thomas, ubi supra (4. *Sentent.*, dist. 26, q. 2), art. 1, arguit sic, in tertio loco : « Sacraenta habent efficaciam ex passione Christi. Sed per matrimonium non conformatur homo passioni Christi, que sunt penitentia, error, habeant delectationem, adjunctam. Igitur non est sacramentum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod matrimonium, quamvis non conformetur Christi passioni quantum ad penitentia, conformatur tamen ei quantum ad characterem, per quam pro Ecclesia sibi in spiritu compungendi potest. » — Hac ille.

Item, art. 4, in solutione secundi, sic dicit : « Significatio res contente est de rebus itabat sacramenti, et ad hanc contentem non pertinet carnalis coniunctionis, sed ad rem non contentam. » — Tunc quarto, quia in sacramentis matrimoniorum contentur

gratia per illud sacramentum, ex sanctificatione, id est, sua sancta institutione a Christo facta, vel ex sanctificatione, id est, sacre virtutis collatione data sacramento. De hoc sanctus Thomas, ubi supra (dist. 26, q. 2), art. 3, arguit sic, secundo loco : « Omne sacramentum conferens gratiam, confert eam ex materia et forma sua. Sed actus qui sunt materia in hoc sacramento, non sunt causa gratiae; ipsa hoc esset haeresis Pelagiana, quod actus nostri sunt causa gratiae. Verba etiam exprimentia consensum, non sunt causa gratiae, cum in eis non sit aliqua sanctificatio. Ergo in matrimonio nullo modo datur gratia. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod sicut aqua baptismi, vel forma verborum, non operatur immediate ad gratiam, sed ad characterem: ita actus exteriores, et verba exprimentia consensum, directe faciunt nexus quendam, qui est sacramentum matrimonii; et hujusmodi nexus, virtute divine institutionis, dispositive operatur ad gratiam. » — Hac ille. — Ex quibus, et multis aliis in predicta questione (2) contentis, satis appareat quod in matrimonium, prout est sacramentum, concurrunt omnia illa tria que ponit Hugo in sua definitione. Nee valet quod dicit arguens; quia in sacramento matrimonii non solum concurrunt verba exprimentia consensum, verum etiam aliqui actus exteriores, ut supra dictum est, qui sunt loco materia. Et ultius, essentia ipsius sacramenti matrimonii non sunt verba, sed coniunctio viri et mulieris ad aliquid unum, ut diffuse ostendit sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 27, q. 1, art. 1. Et de hoc alias (dist. 26 et seqq.) dicetur latius.

Ad secundum quod objicitur de sacramento ordinis, dicitur primo, quod in sacramento ordinis est sanctificatio. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 24, q. 1, art. 1, in solutione tertie questionis, sic dicit : « Sacramentum (3) nihil aliud est quam quadam sanctificatio homini exhibita cum aliquo signo visibili. Unde, cum in successione ordinis quedam consecratio homini adhibetur per visibilia signa, constat ordinem esse sacramentum. » — Hac ille. — Dicitur secundo, quod non oportet materiam hujus sacramenti praesanctificari. De hoc sanctus Thomas, ubi supra (dist. 24, q. 1, art. 1), in solutione quinto questionis, sic dicit : « Materia in sacramentis exterius adhibita, significat virtutem in sacramentis agentem extrinsecus omnino advenire. Unde, cum effectus proprius hujus sacramenti, scilicet character, non percipiat ex aliqua operatione ipsis qui ad hoc sacramentum accedit, sicut erat in penitentia, sed omnino extrinsecus adveniat, competit ei materiam habere; tamen diversimode ab aliis sacramentis.

(2) questione — conclusione Pr.
(3) Sacramentum. — Ordo Pr.

que materialia habent: in hoc quod illud quod in sacramento confertur, in aliis sacramentis derivatur tantum a Deo, non a ministro qui sacramentum dat; sed illud quod in hoc sacramento traditur, scilicet spiritualis potestas, derivatur etiam ab eo qui sacramentum dat (2), sicut potestas imperfecta a perfecta. Et ideo efficacia aliorum sacramentorum principaliter consistit in materia, que virtutem divinam et significat et continet ex sanctificatione per ministrum exhibita; sed efficacia hujus sacramenti principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat. Materia autem adhibetur magis ad determinandum potestatem que traditur particulariter ab habente eam complete, quam ad potestatem causandam. Quod patet ex hoc quod materia competit usui potestatis. » — Hac ille. — Item, ibidem, arguit sic, secundo loco: « In isto sacramento confertur gratia plenitudo, sicut in confirmatione. Sed materia confirmationis praexigit sanctificationem. Cum ergo ea quae videntur esse materialia in hoc sacramento, non sint praesanctificata, videtur quod non sint materia sacramenti. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum est, inquit, quod materialia in aliis sacramentis oportet sanctificari, propter virtutem quam continet; sed non est ita in proposto. » — Hac ille. — Ex quibus patet quod in hoc sacramento aliter se habeat sanctificationis quoad subjectum vel quoad materialia sacramenti, quam in aliis; nec oportet quod univoce dicatur materia in omnibus sacramentis, sed analogice.

Ad tertium dicitur quod tertia conditio posita in definitione sacramenti a Magistro, vel Hugone, nullam patitur calaminiā apud recte intelligentes, sicut post videbitur. De definitione autem Augustini, dicit sanctus Thomas, 4. *Sententia*, dist. 1, q. 1, art. 1, in solutione quartae questionis: « Definitionis, inquit, illa Augustini (si tamen in verbis illis sacramentum diffinire intendit) datur de sacramento quantum ad id quod est principale in ratione ipsius, scilicet causare sanctitatem. Et quia sacramenta non sunt primae causa sanctitatis, sed quasi causa secundaria et instrumentalis, ideo diffiniuntur sacramenta ut sanctificationis instrumenta. Actio autem non attribuitur instrumento, sed principali agenti, cuius virtute instrumenta ad eum applicantur, prout sunt nota ab ipso. Et ideo instrumenta non dicit esse sanctificantia, sed quod in eis divina virtus occulte existens sanctificat. » — Hac ille. — Item, ibidem, in solutione tertii, sic dicit: « In sacramentis Deus operatur saltem, sicut in instrumentis, quibus mediantibus, salus causatur. » Item, in solutione primi, sic dicit: « Sacramentum est causa et signum. Est quidem causa instrumentalis. Et ideo virtus agentis principalis oecidente in

ipso operatur, sicut virtus artificis in serra. Sed in quantum est signum, est ad manifestandum hujusmodi occultationem, etc. » — Hac ille. — Ex quibus patet quod verba Augustini ostendunt aliquam causalitatem salutis humanae esse in sacramentis.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi. — Ad objecta contra secundam conclusionem, dicitur:

Ad primum (2), quod solutio ibidem data, est sufficiens. Et illam ponit beatus Thomas, 4. *Sententia*, dist. 1, q. 1, art. 3, in solutione quinti, ubi sic dicit: « Matrimonium secundum quod est in officium, et penitentia secundum quod est virtus, non habent (3) aliquam formam verborum (2). Sed secundum quod intrinque est sacramentum, in dispensatione ministeriorum Ecclesiae consistens, intrinque habet aliqua verba: sicut in matrimonio sunt verba (2) exprimentia consensum, et iterum benedictiones ab Ecclesia instituta; in penitentia autem est absolutio sacerdotis verbotenus facta. » — Hac ille.

Tunc, ad improbationem hujus responsionis, dicitur primo, quod verba benedictionis sacerdotalis non sunt de essentia sacramenti matrimonii, tanquam forma vel materia. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sententia*, dist. 26, q. 2, art. 4, in solutione primi, sic dicit: « Verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti; non autem benedictio sacerdotalis, que est quoddam sacramentale. » — Hac ille. — Dicitur secundo, quod in sacramento matrimonii oportet concurrere verba, vel aliquid verbis equipollens. De hoc sanctus Thomas, ubi supra (4. *Sententia*), dist. 27, q. 1, art. 2, q. 2, ubi arguit sic, secundo loco: « Matrimonium potest esse inter alios qui suum consensum sibi mutuo verbis exprimere non possunt; quia vel sunt muti, vel diversarum linguarum. Ergo expressio consensus per verba non requiritur ad matrimonium. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum est, inquit, quod, quoniam tales non possint vota sui mutuo sibi verbis exprimere, possunt tamen exprimere iuribus; et tales iuribus pro verbis habentur. » — Hac ille. — Item, tertio loco, arguit sic: « Si omittatur illud quod est de necessitate sacramenti, quacunque ex causa, non est sacramentum. Sed in aliquo casu est matrimonium sine expressione verborum: sicut quando puella facit prius verecundia, parentibus eam viro tradentibus. Ergo expressio verborum non est de necessitate matrimonii. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, est quod, sicut

(2) *Ad prima* — *om. Pr.*

(3) *Habent* — *habet* *Pr.*

(4) *Sicut in matrimonio sunt* — *Ad. Pr.*

(5) *A verba sicut uero ad verba* — *om. Pr.*

(2) A verbas sed dicit usque ad sacramentum dat, om. *Pr.*

dicit Hugo de Sancto Victore (*de Sacram.*, lib. 2, part. II, cap. 4), eos qui conjunguntur, sic oportet consentire, ut invicem se sponte recipiant; quod judicatur fieri, si in desponsatione non contradicant. Unde verba parentum, in illo casu, computantur ac si essent verba puerorum: sunt enim signum sufficiens quod sunt ejus, ex quo non contradicit. » — Haec ille.

Ad secundum dicitur quod tam in sacramento penitentiae quam matrimonii, sunt res et verba, licet differenter ab aliis sacramentis. De hoc supra dictum est (§ pree., et ad 4^{um} huj. §). Nam sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 26, q. 2, art. 1, in solutione primi, sic dicit: « Verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti; non autem benedictio sacerdotis, que est quoddam sacramentale. » — Haec ille. — Item, in solutione secundi, sic dicit: « Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus qui sacramento illo utitur, sicut pœnitentia; et ideo, sicut pœnitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod in sacramento matrimonii sunt verba et res. Verba quidem sunt illa que exprimunt consensum matrimoniale; res autem dicuntur quicunque alii actus cum verbis concurrentes. De hoc beatus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 44, q. 4, art. 1, q^a 4, in solutione primi, sic dicit: « Sicut in corporalibus medicinis quedam sunt quae consistunt in sola passione vel receptione curati, ut sectio vulneris, vel appositio emplastri, quedam vero quae consistunt in actu laborantis, sicut discursiones et hujusmodi; ita etiam in sacramentis, quedam non requirunt actum ejus qui sanctificatur, quantum ad substantiam sacramenti, nisi per accidens, sicut removens prohibens, ut patet in baptismo et confirmatione et hujusmodi; quedam autem requirunt essentialiter et per se actum ejus qui sacramentum recipit, ad essentiam sacramenti, sicut patet in pœnitentia et matrimonio. In illis ergo sacramentis que sine actu nostro complentur, est materia que significat et causat exterius, quasi medicina apposita. In illis autem sacramentis que actu nostrum requirunt, non est talis materia; sed ipsi actus apparentes, hoc idem faciunt quod materia in aliis sacramentis. Verum in diffinitione sacramenti oportet quod materiale elementum accipiatur communiter pro omni sensibili, sive sit materia aliqua corporalis, sive sit actus aliquis sensibilis. » — Haec ille. — Item, in solutione secundi, sic dicit: « In hoc sacramento sunt aliisque res, scilicet ipsi actus exteriores, et aliqua verba, scilicet sacerdotis absolvientis, que sunt forma hujus sacramenti, quibus exprimitur absolutionis actus. » — Haec ille. — Simile dicit in 3 p. q. 84, art. 1, in solutione primi argumenti.

Gum autem dicit arguens, quod, cum dicitur ad

sacramenta pertinere res et verba, hoc intelligendum est sic, quod talia sint duo separata, etc.; — dicitur quod res et verba ejusdem sacramenti sunt duo separata, hoc est, numeraliter vel specificie distincta. Non tamen oportet ea distinguiri genere, sic quod res sacramenti nullo modo sit verbum; potissimum in istis duobus sacramentis, in quibus res vel materia sacramenti non univoce dicitur cum rebus aliorum sacramentorum. De hoc Petrus de Palude, quarta quæstione hujus distinctionis, sic inquit: « Sicut in illis sacramentis ubi est res distincta evidenter, non est ipsa ibi univoce (quia in aliis est sanctificata, ut in confirmatione, et etiam in unctione extrema; in aliis non sanctificata, ut in baptismō, ordine, Eucharistia), sic nec in aliis oportet quod sit univoce: quia in pœnitentia pro materia est actus suscipiens, non aliquid a ministrante exhibitum; in matrimonio autem idem est materia *in qua* et *ex qua*, scilicet personæ contrahentes, vel suscipientes; nisi quis dicat consensum unius esse materiale respectu alterius, quia ultimus est quasi forma complerens, ut in numeris ultima unitas. Secundo, sciendum quod, licet in sacramentis veteris legis sint res sole, et non verba (in quo deficiunt a sacramentis novae legis), tamen, sicut res non est univoce in omnibus sacramentis novae legis, similiter nec verba sunt ibi univoce: quia in quibusdam requiruntur verba ut verba, quia sunt pro forma, quia sine eis nihil actum est, ut in baptismō, confirmatione, ordine, Eucharistia, extrema unctione, et etiam in pœnitentia, quod absolute, que est forma (nam confessio scripto vel mutu fieri potest, sicut et per interpretem); in matrimonio autem requiruntur verba solum ut significativa. Unde, si loco verborum sint mutus, vel signa, vel epistole, sufficit, non solum in mutis aut verecundis, sed etiam in aliis; quia ex quo consensus est principalis causa, sufficit qualisunque expressio. Utrum autem mutus consensus cum carnali copula, sine alio signo, sufficiat? Videtur quod non: quia debet exprimi per signa ordinata ad expressionem consensus, sive precedentia, ut in sponsalibus de futuro, carnali copula subsepta affectu matrimoniali, vel subsequida; quod non est hic. Ad hoc enim datum est nobis sermo, ut præsto fiant mutus voluntatis indicia. » — Haec Petrus; et bene, præter hoc quod ponit materiam et rem sacramenti matrimonii esse personas contrahentes; hoc enim non concordat dictis sancti Thomæ predictis, ut de se patet. — Potest etiam dici quod, cum quis loquitur, vel profert verbum, ipsa prolatione verbi realiter distinguitur a verbo, sicut actio a suo termino; ideo immo horum potest dici res, aliud verbum; et sic est ibi res et verbum. Ulterior, in tali contractu matrimonii non solum sunt verba, immo, præter illa, concurrunt ibi, de necessitate sacramenti, multi alii actus, puta sensaciones et perceptiones verbo-

rum, et signa mutuae complacentiae, et similia; et si se semper est aliqua res distincta a verbo. In ipsis etiam verbis una pars est formalis respectu aliarum, et aliae sunt materiales respectu illius, ut postea dicetur.

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Durandi. — Ad argumenta Durandi contra tertiam conclusionem nunc dicendum est. Et quidem

Ad primum dicitur, negando antecedens. Numquam enim gratia gratum faciens data fuit sine dispositione, vel ornatu prævio. De hoc sanctus Thomas, 1^a 2^a, q. 112, art. 2, sic dicit: « Gratia duplèciter dicitur: quandoque quidem ipsum habituale Dei donum; quandoque autem ipsum auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo ergo modo accipiendo gratiam, præexigitur ad gratiam aliquam anime preparatio; quia nulla forma potest esse, nisi in materia disposita, etc. » Item, ibidem, in solutione tertii, sic dicit: « Agens infinita virtutis non exigit materiam, vel dispositionem materiae, quasi presuppositam ex alterius cause actione; sed tamen oportet quod secundum conditionem rei causandæ in ipsa re causet et materiam et dispositionem debitam ad formam. Et similiter, ad hoc quod Deus infundat gratiam anime, nulla preparatio exigitur, quam ipse non causet. » — Haec ille. — Item, *de Veritate*, q. 24, art. 15, sic dicit: « Qui-dam dicunt quod homo non potest se preparare ad gratiam habendam, nisi per aliquam gratiam gratis datum. Quod quidem non videtur esse verum, si per gratiam gratis datum intelligent aliquod habituale gratiae donum, duplè ratione. Primo quidem, quia propter hoc proponitur preparatio ad gratiam esse necessaria, ut ostendatur aliqualis ratio ex parte nostra (2), ex qua quibusdam detur gratia gratum faciens, quibusdam autem non. Si autem nec ipsa preparatio gratiae sine aliqua habituali gratia esse (3) potest: aut ista gratia datur omnibus; aut non. Si omnibus datur, non videtur aliud esse quam aliquod naturale donum: nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire, nisi in aliquo naturali; ipsa autem naturalia, gratiae dici possunt, inquantum nullis precedentibus meritis homini a Deo dantur. Si autem non omnibus datur, oportet iterum ad preparationem redire, et, eadem ratione, aliam gratiam ponere: et sic in infinitum. Et ita melius est ut stetur in primo. Secundo, quia preparare se ad gratiam, alio modo dicitur *facere quod in se est*; sicut est consuetum dici, quod si homo facit quod in

se est, Deus dat ei gratiam. Hoc autem dicitur in alio modo, quod est in potestate ejus. Unde, si homo per liberum arbitrium non potest se ad gratiam præparare, *facere quod in se est* non erit se præparare ad gratiam. — Si autem per gratiam gratis datum intelligent divinam providentiam, qua misericorditer homo ad bonum dirigitur, sic est verum quod homo sine gratia non potest se præparare ad habendum gratiam gratum facientem. Quod quidem patet duplè ratione. Primo quidem, quia impossibile est hominem incipere aliquid velle de novo, nisi sit aliquid quod ipsum moveat; sicut patet per Philosophum, 8. *Physicorum* (t. c. 20), dicentem quod motus animalium post quietem necesse est procedere alias motus, quibus anima excitatur ad agendum. Et sic, cum homo incipit se ad gratiam præparare, de novo convertendo voluntatem suam ad Deum, oportet quod ad hoc inducatur aliquibus exterioribus occasionibus, utputa exteriori admonitione, aut aliquo hujusmodi; aut aliquo interiori instinetu, secundum quod Deus in mentibus hominum operatur; vel etiam utroque modo. Itcc autem omnia ex divina misericordia homini providentur. Et sic ex divina misericordia contingit quod homo se ad gratiam præparet. Secundo, quia non qualiscunq[ue] motus voluntatis est sufficiens præparatio ad gratiam, sicut nec qualiscunq[ue] dolor sufficit ad peccati remissionem; sed oportet esse aliquem determinatum modum. Qui quidem homini notus esse non potest, cum etiam ipsum dominum gratiae cognitionem hominis excedat. Non enim potest sciri modus preparationis ad formam, nisi forma ipsa cognoscatur. Quandoenamque autem ad aliquid faciendum requiritur aliquis certus modus ignotus operanti, operans indiget gubernante et dirigente. Unde patet quod liberum arbitrium non potest se ad gratiam præparare, nisi ad hoc divinitus dirigatur. Et propter has duas rationes, duplè modo loquendi in Scripturis (2) Deus exhortatur, ut hanc preparationem gratiae in nobis operetur. Uno modo, petendo quod nos convertat, quasi ab eo in quo eramus, ad se veritatē; et hoc propter primum rationem, cum dicitur (Psalm. 84, v. 5): *Converte nos Deus salutaris noster*. Secundo, petendo quod nos dirigat, ut cum dicitur (Psalm. 24, v. 5): *Dirige me in veritate tua*; et hoc propter secundam rationem. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod ponere in anima dispositionem, aut præparationem, aut ornatum præsum ad gratiam, non est fictio, sed pura veritas, consona rationi et dictis Sacrae Scripturae.

De hoc Petrus de Palude, prima questione hujus distinctionis, sic dicit: « Sacraenta attingunt ad producendum dispositionem ad gratiam, quae est character, vel ornatū, et, pari ratione, ad gratiam

(2) *natura*, — *materia* Pr.

(3) *nam*. — Ad. Pr.

sacramentalem (si differat (z) ab alia gratia), propter tria.² *Primo.* Quia sicut per quae quis peccat, per haec et torquetur; sic, quia homo peccat per sensibilia, et per sensibilia torquetur in inferno; ita it per sensibilia humilietur, ut per illa justificetur penitens in mundo. Sed sensibilia fuerunt causa peccati, non solum *sine qua non*, sed *instrumentalis*: quia *vidit mulier quod esset pulchrum visu, et suave*, etc. (*Genes. 3, v. 6*); ita quod fructus et visus movit sensum, et per illum intellectum, et ceterum hoc appetitum, qui est movens motum ab appetibili, licet in virtute intellectus agentis; ut dicitur, *3. de Anima* (t. c. 49 et 50). Ergo; et in justificatione, ipsa sensibilia se habent active, licet in virtute Dei. *Secundo.* Quia non fuit aliud modus reparationis nostrae misericordiae (6) conveniens, quam ille quo Deus natus est, medianibus sensibus, ab ipsis sensibilibus acquirere perfectionem: ita ut ab illis perficiatur scientia et virtutibus, mediante corpore coniuncto, active, sed non principaliter, sed in virtute intellectus agentis. Ergo sic debet acquirere perfectiones supernaturales, ut per sensibilia ad illas disponatur. Unde et fides, que est virtus theologiae, infusa est ex auditu, in quantum audiendo homo disponitur ut ei fides infundatur; ad quam dispositionem illa sensatio agit; quamvis illa sit actus liberi arbitrii, non ista que est in sacramentis, sed sit habitus quidam. *Tertio.* Quia, cum gratia non detur, secundum legem communem, nisi disposito, oportet quod recepturus gratiam vel disponat se per liberum arbitrium, vel disponatur ab alio. Sed parvulus non disponit se. Ergo oportet eum disponi sacramento. Item, in sacramentis novae legis, in quibus (z) datur gratia, nisi homo ponat obicem, non per se requiritur quod homo se disponat, sed solum quod non se opponat; igitur per ipsum sacramentum disponitur; et sic est probabile, in omni sacramento novae legis, quod justificat ex opere operato, quod conferat dispositionem ad gratiam. In sacramentis autem veteris legis, non solum promittebatur gratia, sed dabatur illis a Deo; sed requirebatur dispositio, quam sacramenta non faciebant (nisi circumcisio), sed ipsem suscipiens; unde justificabant ex opere operante, non ex opere (z) operato. Cum igitur ista justificant ex opere operatore, sicut illa ex opere operante, sicut opus operans ibi causabat formaliter dispositionem, ita hic opus operatum: ut sicut homo ibi suscipiens sacramentum, disponebat se ad gratiam; sic nunc ipsa suscepitio sacramenti, vel sacramentum susceptum, ipsum

disponat. Est tamen differentia inter hanc dispositionem et illam, sicut inter actum et habitum, quantum ad hoc quod illa transit, haec autem manet, et ista inclinat ad illam sicut habitus ad actuum; unde et sine actu ita potest esse dispositio in illo qui non habet usum liberi arbitrii, sicut est in illo qui habet. Ista est dispositio per se, alia per accidens, ad removendum prohibens. Nec habitus iste causatur ex actibus ad quos disponit, sicut nec habitus infusus. » — Haec ille, cum multis aliis bene facientibus ad propositum. — Ex quibus appareat quod nec sanctificatis in utero, nec justificatis ante baptismi susceptionem, nec contritis ante sacramentalem absolutionem, confertur gratia, nisi prius natura sint dispositi ad gratiae susceptionem, aliqua dispositione actuali vel habituali; et quod hoc non est fictio. Patet etiam quod talis dispositio vel ornatus sit a Deo (z); cum sit dispositio ad gratiam, quae est forma deifica, ad cuius susceptionem immediatae naturalia non sufficiunt.

Ad secundum respondet Petrus de Palude, ubi supra (dist. 1, q. 1), qui tale argumentum recitat: « Corpus non agit in illud quod non tangit. Sed verum matrimonium contrahitur inter absentes, et per nuntios, vel per epistolam; ubi non potest esse contactus. Ergo saltem sacramentum matrimonii tunc nihil causat in contrahentibus. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod in baptismo, confirmatione, et unctione, et ordine, nisi esset contactus verus, non esset sacramentum. In matrimonio autem, nisi esset auditus verborum, vel visus mutuum (z), non esset mutua intellectio, nec mutuus consensus; et per consequens, nihil esset actum. Nec in poenitentia, secundum quosdam, nisi esset auditus absolutionis. In Eucharistia posset dici similiter, quod, nisi esset sonus, qui perveniret ad quamlibet hostiam, non consecraretur. Nec obstat si sint multe hostiae, una super alias: quia quemcumque in aere contingunt se, medius est aer, per quem faciliter sonus diffunditur spiritualiter. Sed quia surdus potest absolviri, et matrimonium contrahere, et similiter caepi, ideo aliter et melius dicendum est, quod, licet naturaliter quod non tangit non agat, tamen supernaturaliter, et in virtute Dei, quae contulit spiritibus per naturam agere. Sine tactu molis, potest hoc dari (z) corporibus per gratiam. Posset etiam Deus conservare lumen solis in luna, etiam annihilato lumine medio; et nihilominus esset illud lumen a sole, et non esset per medium; et sic immediate ageret, quod immediate non tangeret; quamvis dubium sit utrum tunc conservaretur a sole. Sed si Deus potest agere sine omni medio, sic potest

(x) si differat, — sic differt Pr.

(6) misericordia, — Om. Pr.

(z) aptus, — Om. Pr.

(z) quibus, — quibusdam Pr.

(c) opere, — Om. Pr.

(x) sit a Deo, — faciat ab aliquo Pr.

(c) matrimonium, — nuntiorum Pr.

(z) datur, — datur Pr.

agere mediate, uno medio subtracto (α). Sicut ergo (β) potest lucem continuare in luna sine alio lumine, ita mediante solo lumine solis. Videtur etiam quod posset Deus facere quod ignis combureret stupam distantem in vacuo. — Et praeterea, si tactus requiritur, hoc est magis signum quod sacramenta agant, quam quod sint solum signa et *causa sine qua non ex pactione*. Quia merellus, qui (γ) ex pactione est signum et *causa sine qua non* habendi prandium, potest recipi per se, vel per alium, vel cum chirotheca, sine hoc quod tangatur manu nuda; et pater recipit pro se et filio. Sic ergo mater baptizabitur pro se et pro filio, maxime quem gestat in utero; nec oportebit quod tangatur ab aqua; et similiter cum larva et veste poterit baptizari, sine hoc quod attingatur caro. Et si homo sic consequitur gratiam per sacramentum, sicut clericus de prebenda investitur per librum, et non aliter, tunc poterit per procuratorem baptizari, confirmari, iungiri, et hujusmodi, sicut potest de prebenda investiri. Contra quod dicit Augustinus (tract. 80, in Johannem): *Quae est ista vis aquae, ut corpus tangat et cor abluat?* Nisi ergo tangatur corpus, non abluitur spiritus. Et ideo in contactu materiae et suscipientis. In baptismō, confirmatione, et ordine, et in usu Eucharistie (quia suscipere sacramentaliter Eucharistiam non est solum tangere, sed gustare et manducare), in his est evidens contactus. Tamen materia Eucharistiae non oportet quod tangatur a conficiente: quia, inquantum hujusmodi, non est suscipiens, sed efficiens sacramentum. Sed oportet quod contingatur a verbo, id est, ab aere subjecto soni, si ibi debet aliquid agere. Sed si ibi nihil ageret, sed solum Deus, adhuc haberetur propositum: quia sufficit quod sacramentum agat dispositionem in suscipiente ad gratiam: quod faciunt species suscepit. Sed tunc non esset adhuc virtus in forma, sed tantum in materia, si verba nihil agerent ad conversionem. Unde melius dicitur quod verba ad hostiam attingunt, et ad conversionem disponunt. In confessione autem non oportet quod sit contactus materiae, si materia est confessio, quae est magis in agendo quam in patiendo; sed si materia est peccator, ipse attingitur a verbis absolutionis (δ). In matrimonio autem, ubi materia sunt contrahentes, nullus contactus requiritur. Sed in omni sacramento per se requiritur contactus formae, puta quod sonus verborum veniat usque ad recipientem, quando consistit in usu, vel usque ad materialm, quando consistit in consecratione materiae. Sed non requiritur quod suscipiens sacramentum intelligat verba, cum aliquando sit parvulus vel

(α) *sic potest agere mediate, uno medio subtracto* Pr.

β ergo. — Om. Pr.

(γ) *merellus, qui mectus, quae Pr.*

(δ) *ut ibi*. — Ad. Pr.

laicus; nec etiam quod audiat sonum, cum aliquando sit surdus; quia non ex opere operante suscipientis, sed ex opere operato, a se, et a Deo, et a passione suscipientis operantur verba (ϵ); unde, in sacramento Altaris, vi verborum fit conversio dispositive ipsius panis et vini, in quibus non est auditus, nec intellectus. Quando ergo puer baptizatur, sicut aqua, secundum naturalem virtutem, affligit eum, si est nimis frigida, vel delectat, si est tepida; et forte usque ad voluntatem pervenit haec passio ex intellectione confusa; sic posset imaginari quod, mediante tali quadam intellectione confusa, transfundatur character a sono verborum, mediante intellectione, vel specie sine intellectione. Hoc tamen, non per se requiritur, sed accidit: quia sicut sol non illuminat, sed tantummodo calefacit illud quod est calefactibile et non illuminabile, ut profundum terre, quod non illuminat, sed solum superficiem; sic in aqua et aere subjecto verborum est virtus, qua, si suum subjectum sentiatur, mediante illa sensatione operatur; si autem non sentiatur, nihilominus operatur (non enim quia sentitur a suscipiente ideo operatur, sed quia a Deo applicatur). In matrimonio autem quod inter absentes contrahitur, ipsa verba (ϵ) muniti audiuntur, vel littere leguntur; et sic aliquis contactus sensuum invenitur. Si tamen sacramentum modo ordinato ministretur, et desit contactus materiae vel formae, et verum sit quod corporale non possit etiam Dei virtute agere nisi tangat, tunc Deus ex pactione illud supplet; sicut quando duo vel tria millia baptizabant sancti Apostoli, nec forte quilibet fuit aqua tactus. — Quod autem dicitur (Ioh. 3, v. 5), *Nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu*, etc., posset intelligi ex aere qui dicitur spiritus, quia aer est subjectum formae, que attingit baptizatum sicut aqua; nisi quod in quibusdam libris additur, *ex aqua et Spiritu Sancto*; quoniam posset intelligi *sancto*, quia est subjectum verbi sanctificantis. Sed hoc longe est ab expositione Sanctorum; et ideo illa expositio nullo modo est tenenda. — Hec Petrus. — In quibus, licet ponat aliqua dubia, tamen istud est verum, quod quando matrimonium contrahitur inter absentes, per epistolam, vel munitionem, semper est ibi aliquis contactus formae ad materialm; et ideo potest causari dispositio ad gratiam in suscipientibus, quantumcumque distent unus ab aliо.

Ulterius sciendum quod, secundum mentem sancti Thomae, in talibus causis instrumentalibus, respectu effectuum spiritualium, non semper necessario requiritur contactus corporalis; sed sufficit contactus spiritualis per fidem et voluntate, vel desiderium, aut propositum. De hoc sanctus Thomas, 3 p. q. 48, art. 6, ubi arguit sic, secundo loco:

ϵ *operantur verba, ex operatur Pr.*
ex ipsa verbis, ex ipsi Pr.

« Nullum agens corporale efficienter agit, nisi per contactum; unde etiam et Christus tangendo ministravit leprosum, ut ostenderet carnem suam virtutem salutiferam habere, sicut Chrysostomus dicit (Hom. 26 in Matth.). Sed passio Christi non potuit attingere omnes homines. Ergo non potuit operari omnium hominum salutem. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod passio Christi, licet sit corporalis, habet tamen virtutem spiritualem ex divinitate unita; et ideo per spiritualem contactum efficaciam sortitur, scilicet per fidem et per fidei sacramenta, secundum illud Apostoli (*Roman.* 3, v. 25): *Quem propositi propitiatorium per fidem in sanguine ejus.* » — Hec ille, — Item, q. 56, art. 1, arguit sic, tertio loco: « Si resurrectionis Christi sit causa resurrectionis corporum: aut esset causa exemplaris; aut causa effectiva; aut causa meritoria. Sed non est causa exemplaris: quia resurrectionem corporum Deus operabitur (2), secundum illud Joannis 5 (v. 21), *Pater suscitat mortitos;* Deus autem non indiget inspicere ad aliquid exemplar extra se. Similiter etiam non est causa effectiva: quia causa efficiens non agit nisi per contactum; sed resurrectionis Christi non potest agere per contactum corporalem ad mortuos qui resurgent, propter distansum temporis et loci; similiter nec per contactum spiritualem, qui est per fidem et charitatem, quia etiam infideles et peccatores resurgent, etc. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod resurrectionis Christi non est, proprio loquendo, causa meritoria nostrae resurrectionis, sed causa efficiens et exemplaris. Efficiens quidem, inquantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quoddammodo instrumentum divinitatis ipsius, et operatur in virtute ejus. Et ideo, sicut illa que Christus in sua humanitate fecit vel passus est, ex virtute divinitatis ipsius sunt nobis salutaria, ita et resurrectionis Christi est causa efficiens nostrae resurrectionis, virtute divina, cuius proprium est mortuos vivificare; que quidem virtus praesentialiter attingit omnia loca et temporis; et talis contactus virtualis sufficit ad rationem hujus efficienie. » — Hec ille, — Et similiter dicendum est de sacramentis, quod aliquando disponunt ad gratiam per secundum contactum spiritualem vel virtutem, ut post dicetur.

Ad tertium dicitur primo, quod contritus non consequitur gratiam nisi virtute sacramenti quod habet in proposito, et ex contactu spirituali vel virtutali ad sacramentum. De hoc sanctus Thomas, 4, *Sentent.*, dist. 17, q. 3, art. 1, q^ub 4, sic dicit: « Passio Christi, sine cuius virtute nec actuale nec originale peccatum dimititur, in nobis operatur per sacramentorum suspicionem, que ex ipsa operatione habent; et ideo ad culpe feniunt sicut et

originalis et actualis, requiritur sacramentum Ecclesiae, vel actu susceptum, vel saltem voto, quando articulus necessitatis, non contemptus, sacramentum excludit, etc. » Item, ibidem, in solutione primi: « Ad gratiae infusionem consequendam ordinata sunt gratiae sacramenta; ante quorum suspicionem, vel actu, vel proposito, aliquis gratiam non consequitur. » — Dicitur secundo, quod absolutio sequens contritionem, auget gratiam in contritione collatam. De hoc sanctus Thomas, eadem questione, art. 5, q^ub 4, sic dicit: « Poenitentia, inquantum est sacramentum, praeclipe in confessione perficitur; quia per eam homo se subdit ministris Ecclesie, qui sunt sacramentorum dispensatores. Contritus enim votum confessionis annexum habet; et satisfactio pro iudicio sacerdotis cui (2) fit confessio, taxatur. Et quia in sacramento poenitentie gratia infunditur, per quam fit remissio peccatorum, sicut in baptismi; ideo eodem modo confessio, ex vi absolutionis conjunctio, remittit culparum sicut et baptismus. Liberat enim baptismus a morte peccati, non solum secundum quod actu suscipitur, sed secundum etiam (3) quod in voto habetur, sicut patet in illis qui iam sanctificati accedunt ad baptismum; et si aliquis impedimentum non prestaret, ex ipsa collatione baptismi gratiam consequeretur remittentem peccata, si prius sibi remissa non fuissent. Et similiter dicendum est de confessione, adjuncta absolutione: quia, secundum quod in voto poenitentis processit, a culpa liberavit; postmodum autem, in actu confessionis et absolutionis, gratia augetur; et remissio peccatorum daretur, si precedens dolor de peccatis non fuisset sufficiens ad contritionem, et ipse tunc obice gratiae non preberet. » — Hec ille, — Cum autem dicit arguens, quod forma augmentabilis potest augeri ex parte solius agentis, sine nova dispositione, etc.; — dicitur quod, posito quod hoc esset verum in formis que nullam dispositionem praeviam requirunt in suo subjecto, tamen penitus falsum est in proposito: quia gratia praequiritur in suo subjecto aliquam dispositionem praeviam, ut dictum est; et ideo non potest augeri nisi aucta tali dispositione. Et quia ista materia in (2) 1, *Sentent.*, dist. 17, q. 2) discussa fuit, ideo non plus dicitur de illa pro nunc, ad alia properando.

Ad quartum dicitur quod responsio ibidem data, bona est. — Et ad ejus improbationem, dicitur primo, quod, licet in omnibus sacramentis novae legis conferatur gratia gratum faciens ejusdem speciei, tamen, praeter illam gratiam, confertur in singulis quedam speciis gratia, que dicitur gratia sacramentalis, ad quam directe sacramentum ordinatur.

(2) *Contra hereticos.* Pr. *De sacramentis.* Om. Pr.
(3) *Contra hereticos.* Om. Pr.

natur. De hoc sanetus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 4, q^{ta} 5, sic dicit : « Gratia gratum faciens est una et eadem, in essentia anime sicut in subjecto; et ab ipsa fluunt virtutes et dona, ad perficiendum potentias anime, sicut etiam potentiae anime fluunt ab essentia; et distinguuntur iste virtutes, secundum diversos actus ad quos oportet potentias anime perfici. Similiter etiam a gratia illa que est in essentia anime, fluunt aliqua ad reparandum defectus qui ex peccato inciderunt; et haec diversificantur secundum diversitatem defectum. Sed quia hujusmodi defectus non sunt ita nobis noti sicut actus ad quos virtutes perficiunt, ideo effectus gratiae ad reparandum defectum non habet speciale nomen, sicut virtus, sed retinet nomen sue cause, et dicitur gracia sacramentalis, ad quam directe sacramenta ordinantur; que tamen non potest esse sine gratia que respicit essentiam anime, sicut nec virtutes. Sed tamen gratia que est in essentia anime, non potest esse sine virtutibus; et ideo virtutes in ea habent connexionem. Potest tamen esse sine gratia sacramentali; nam gratiae sacramentales connexionem non habent. Et ita patet quod gratia quam sacramentum directe continet, differt a gratia que est in virtutibus et donis; quoniam etiam illam gratiam per quadam continuationem confineat. » — Hac ille. — Similiter dicit, 3 p., q. 62, art. 2 : « Gratia, inquit, secundum se considerata, perficit essentiam anime, inquantum participat quadam similitudinem divinae essentie. Et sicut ab anima fluunt ejus potentiae; ita et a gratia fluunt quedam perfectiones ad potentias anime, que dicuntur dona et virtutes; quibus potentiae perficiuntur in ordine ad actus suos. Ordinantur autem sacramenta ad quosdam speciales actus in vita christiana necessarios; sicut baptismus ordinatur ad spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis, et fit membrum christi; qui quidem effectus est aliquid specie de predictis actus potentiarum anime. Et eadem ratio est in aliis sacramentis. Sicut ergo virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam, quadam perfectionem determinate ordinatam ad actus proprios potentiarum; ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et supra virtutes et dona, quedam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum, gratia sacramentalis addit super gratiam donorum et virtutum. » — Hac ille. — Ex quibus patet quod argumentum assumit, scilicet quod eadem et nullo modo diversa, secundum speciem gratiae conferunt in omnibus sacramentis. Et ideo, cum in sacramentis imprimentibus characterem conferatur aliquis habitus gratuitus distinctus specie de fiduciarum collata in sacramentis non imprimentibus characterem, nihil mirum si per quedam sacramenta causetur dispositio que dicitur ornatus tantum, in aliis vero

causetur dispositio que non solum dicatur ornatus, verum etiam character. Cujus rationem ponit sanetus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 4, art. 4, q^{ta} 2 : « Sacraenta, inquit, novae legis sunt quedam sanctificationes. Sanctificatio autem duobus modis accipitur: uno modo, pro emundatione, quia sanctum idem est quod mundum; alio modo, pro mancipacione ad aliquod sacrum, sicut dicitur altare sanctificari, vel aliquid hujusmodi. Omnia autem sacramenta sunt sanctificationes primo modo; quia omnia dantur in remedium contra aliquem defectum. Sed quedam sunt sanctificationes etiam secundo modo; sicut patet pricipue in ordine, quia ordinatus mancipatur ad aliquod sacrum. Non autem omnia; sicut patet de penitentia. Quicumque autem mancipatur ad aliquod sacrum spirituale exercendum, oportet quod habeat spiritualem potestatem; et solum talis (z). Et ideo non omnia sacramenta novae legis characterem imprimunt; sed quedam, que etiam secundo modo sanctificationes dicuntur. » — Hac ille. — Similiter dicit, 3 p., q. 63, art. 6, per totum. — Ex quibus apparet quod multiplex est dispositio ad gratiam gratum facientem: quia quedam per modum actus secundi, puta cum quis per actum liberi arbitrii se disponit ad gratiam; quedam vero per modum actus primi vel habitus, utputa cum quis sine actu secundo proprio justificatur, suscipiendo sacramenta. Et in quolibet istorum generum sunt multe species: quia multiplex est dispositio ad gratiam per actum secundum, qui est motus liberi arbitrii; et multiplex est dispositio ad gratiam per actum primum, quia quedam est ornatus tantum, alia vero est ornatus et character, ut patet ex dictis.

H. Ad argumenta Scoti. — Ad argumenta Scoti contra eandem conclusionem tertiam, nunc oportet dicere. Et quidem :

A. Primum, negatur minor. Licet enim gratia sit terminus creationis, non tamen dispositio ad gratiam, quam dicens characterem, aut ornatum. Et de hoc Petrus de Palude multum bene ad propositum, priua questione hujus distinctionis, sic inquit, arguendo : « Illa que equaliter sunt in potentia passiva et activa, equaliter indeceduntur, sive per creationem, ut virtutes infuse et dona, sive per generationem, ut forme corporales, licet uniusit perfectior altera. Sed gratia et character sunt hujusmodi; quia neutrum est in potentia activa naturae, nec per consequens in potentia passiva materie. Ergo equaliter causantur vel generantur, et equaliter possunt a creatura produci vel non produci. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Tercium, inquit, quod, quantum ad potentiam passivam, major est vera, et minor est falsa; quia

dissimiliter sunt in potentia passiva. Quia, sicut in potentia passiva naturali simpliciter praexsistit aliquid respectu primi coeli, quod potest produci virtute ipsius propria (sicut forma non vivens), aliquid autem praexsistit minus in potentia, quod potest produci a coelo in virtute divina (sicut anima corporalis), et aliquid in sola potentia materia obedientiali, quod non potest produci aliquatenus nisi virtute divina et sola (sicut anima rationalis); sic aliquid simpliciter est in potentia naturali animae (ut que naturaliter acquiruntur), aliquid vero simpliciter totaliter in sola potentia obedientiali (ut ea que a solo Deo recipit, sicut sunt gratia et gloria, que dicuntur proprio creari, vel concreari), aliqua vero medio modo, que possunt produci a natura virtute Dei (ut character et ornatus); ut processus gratiae correspondat processui nature, quo supremum est a solo Deo principaliter et instrumentaliter, infinitum autem est a natura principaliter et instrumentaliter, medium autem a natura instrumentaliter, a Deo autem principaliter. — Quantum autem ad aliam partem, de potentia activa, dicendum quod major est vera de his que sunt essentialiter in potentia principali et instrumentalii (x), non de altera tantum. Minor autem sub hoc sensu est falsa: quia, licet gratia et character sunt aequaliter extra potentiam principalem creature, non tamen supra potentiam instrumentalem. Et ratio hujus est: Quia quod non excedit limites creature, potest communicari creature; et quod competit uni creature per naturam principaliter, si conceditur alteri instrumentaliter, non dicitur creari, sed vel naturaliter produci, si ordo nature hoc commiserit: sicut producere animam vegetativam et sensitivam competit naturaliter et principaliter plantae et animali, quia est secundum suam dispositionem; unde, quia communicatum est celo sine planta et animali quasdam animas hujusmodi producere, inquantum semen deest in natura, non propter hoc anima illa creatur, quamvis sine semine producantur. Illud autem quod excedit limites creature, nec competit alieni creature naturaliter et principaliter, nec in se, nec in suo simili, non est communicabile etiam instrumentaliter; unde, cum producere gratiam sic excedat limites creature, ut nulli competit per naturam principaliter, nec in se, nec in simili vel majori, nulli est communicabile, vel saltem nulli communicatum est, etiam instrumentaliter. Econtrario autem, cum libero arbitrio competit principaliter se ad gratiam disponere, et facere id quod est immediata dispositio ad gratiam, si dispositio nem ad gratiam facere committendur sacramento instrumentaliter, non erit hoc creare, nec creari, nisi extra limites suos ponere. Verum est quod in hoc est dissimilis, quod anima que per putrefactio-

nem generatur a coelo, est ejusdem rationis cum illa que per seipsem generatur a particulari agente, quamvis aliqui dixerint oppositum; dispositio autem que est character, non est aliquid unius rationis per essentiam cum dispositione que est actus liberi arbitrii, quamvis sit unius rationis per efficientiam, etiamsi sit alia gratia in sacramentis ab illa que est in virtutibus et donis, quia character et ornatus sacramentalis principaliter disponunt ad gratiam gratum facientem, que est una in omnibus. Sed nec illa dissimilitudo obstat. Quia etiam sunt animae aliisque imperfectie, que a solo coelo producuntur; sed non creantur, quia nobiliores ab animato producuntur. Et sic est in proposito, si (z) dispositio que est per liberum arbitrium, est nobilior quam illa que est per sacramentum, et efficacior: tunc enim si dispositio nobilior competit per naturam principaliter uni creaturae, alia, que est inferior, poterit instrumentaliter alieni creature etiam inferiori communicari. Si autem dispositio sacramentalis est nobilior quam liberi arbitrii, adhuc sequitur idem, ut probabitur. Praeterea (6): Quod est supernaturale secundum genus suum totum, illud creatur; nec ejus productio aliquo modo creature communicatur. Sed quod non est supernaturale secundum genus suum, licet secundum esse speciem, sit supernaturale; potest ejus productio communicari creature, saltem instrumentaliter. Sicut aliqui dicunt, quod charitas, que, secundum totum genus suum, est supernaturalis, et gratia, non possunt produci virtute creatarum; sed diligere Deum super omnia, est naturale secundum genus suum; diligere autem meritorie, est supernaturale secundum speciem suam, sive quoad efficaciam (y), sive quoad substantiam, ut quidam dicunt; tamen hoc potest creature per virtutem Dei, vel immutantem, sicut est charitas, vel in motu, ut Magister dicit. — Ex his ergo patet quod illud quod ex natura sui generis principaliter competit aliqui creature, potest supernaturaliter communicari alieni, alii etiam inferiori instrumentaliter; vel idem specie (sicut cum colum in virtute Dei producit avium perfectum corporalem, quam animal perfectum producit ex natura); vel differentem specie, sive excellentiorem (ut in exemplo de dilectione meritoria dictum est), vel inferioris speciei (sicut colum in virtute divina animam animalis imperfecti, quod generare non potest natura nisi per putrefactionem). Et hujus ratio est: quia, sicut videmus in naturalibus, quod aliquis effectus est in virtute unius causae naturaliter univoce, qui quidem est in virtute superioris causa aequivoce, sicut calidare est a calore univoce, et a sole aequivoce, non ullaque nisi ordinatione Dei;

(x) *et instrumentaliter.* Om. Pr.

(y) *scilicet etiam Pr.*

(z) *Praeterea. Pata Pr.*

(y) *scilicet quoad efficaciam.* Om. Pr.

sie nulla contradicatio appetet, si illud quod una creatura habet naturaliter et est perfectionis, virtute Dei detur alteri creature supernaturaliter. Propter (z) quod, cum Christus dicat, Matth. ultimo (v. 18), *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra*, nullum inconveniens videtur, si omnem potentiam alterativam quam habet quodcumque corpus, habuit corpus Christi: ut sie tactu suo curaret omnem morbum, quem herba vel gemma curaret suo factu; et fimbriis vestimenti ejus, aut umbrae Petri, haec virtus potuit communicari, si eam aliqua umbra habuit vel corpus. Unde de Christo dicitur (Luc. 6, v. 19), quod *virtus de illo eribatur sanabat omnes*. Et sic verificatur verbum Gregorii, 2. *Dialogorum* (cap. 30 et 31), quod sancti viri aliquando ex potestate miracula faciunt. Et similiter (6), anima Christi omnem virtutem modicam cause et corporis supernaturaliter habuit, quam habet quicunque angelus naturaliter. — Item: Si illam virtutem (7) quam habet una creatura naturaliter, potest alia a Deo obtinere supernaturaliter, multo magis aliud minus perfectam. Unde, cum liberum arbitrium, ex sua natura, possit disponere se ad gratiam perfectius et nobiliter quam sit illa dispositio quae datur in sacramento, sive sit ab eo, sive non (propter quod nobilis dicitur adultus salvavi per dispositionem a se factam proprio motu, quam parvulus per dispositionem a sacramento susceptam); igitur sic disponere potest communicari sacramento, cum melius disponere sit a libero arbitrio. Inimo, etiam si dispositio habitualis sacramenti esset nobilior quam actualis liberi arbitrii, propter hoc quod ipsa manet et alia non, adhuc, ex similitudine generum supradictarum, illa potest communicari; sicut de dilectione Dei meritoria, que nobilior est. Sed, simpliciter loquendo, dispositio liberi arbitrii est melior: quia, illa positiva, non potest esse obex ad gratiam, sicut potest esse cum charactere; forma autem quamvis dispositio, et cuius a (8) natura finis est disponere, tanto simpliciter est melior, quanto est dispositio efficacior et infallibilior. — Hoc Petrus, in forma: « Ex quibus appareat quod minor prius negata, est falsa. Non enim character, aut ordinatus, aut dispositio quam sacramentum instrumentaliter causat, est forma simpliciter supernaturalis, ita ut ejus productio creatio dicatur intercatur. »

Ad secundum dicitur quod dispositio causati per sacramentum, sive sit character, sive alia dispositio ad gratiam, causatum et productum in instanti, sicut et gratia. Et ad hujus nomenclationem, dicitur quod, sicut oratio prolata, in ultimo instanti prolatione

sue, causat perfectam significationem in anima proferentis, aut alterius, si sit capax (et hoc, sive in illo instanti permaneat aliqua pars divisibilis soni, sive aliquid indivisibile se habens ad totum sonum sicut mutatum esse ad motum, vel instans ad tempus, ut non sit pars totius successivi, sed terminus intrinsecus, quonodcumque hoc sit); sic (z) in illo instanti datur virtus orationi, et actio respectu effectus ad quem instrumentaliter attingit. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 8, q. 2, art. 3, arguit, sexto loco: « Faciens et factum, causa et causatum, debent esse simul: quia quod non est, non potest aliquid facere, nec causa alienus existere. Sed cum conversio praedicta fiat in instanti, et verba formae successive proferantur, quando fit conversio, verba illa non possunt simul esse, nisi secundum aliquid minimum sui. Igitur virtute aliqua qua sit in illis verbis, non potest fieri conversio. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod virtus conversiva que est in his verbis, cum sit sacramentalis, sequitur significacionem. Significatio autem existentis conversionis, cum importet ordinem unius ad alterum, non potest fieri per dictionem; sed oportet quod per orationem fiat, cuius partes, quamvis successive proferantur, tamen significatio est tota simul, quam tunc complectit ultima orationis particula, ad modum differentiatione ultime in definitionibus. Et haec significatio existente, in ultimo prolationis instanti fit transsubstancialio. » Item, septimo loco, arguit sic: « Verba ista non habent virtutem ex seipsis; hoc placuisse est. Si ergo habent aliquam hujusmodi virtutem, oportet quod sit eis data divinitus. Oportet autem hanc virtutem esse simplicem, cum ejus effectus sit in instanti. Simplex autem virtus non potest successive dari, et ejus subjectum oportet esse simplex. Cum ergo praedicta verba significacionem habeant, non potest ipsis talis virtus esse collata. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod significatio orationis, quamvis, relata ad partes quibus sit significatio, videatur composita, tamen, relata ad rei significacionem, simplex est, in quantum significat unum quid, scilicet compositionem hujus cum hoc: sicut etiam Philosophus dicit, 5. *Metaphysice* (t. c. 19), quod *sub tantia senarii non est bistris, sed semel servatur*, quamlibet nominat. Unde sicut ad hanc qualitatem senarii se habent partes ejus ut dispositiones materiales, non ut qualitates partium, sicut partes unus totius qualitatis; ita significaciones partium sunt dispositiones ad significationem totius orationis, que consistit ex significacione partis in ordine ad omnes precedentes. Sed ipsa virtus conservativa sequitur significacionem, ideo in ipso complemento significacionis datur illa virtus totius orationis. »

(z) hoc. — Ad Pr.

(6) secundum. — so. Pr.

(7) illam virtutem. — illa certos Pr.

(8) a. — Om. Pr.

tioni, ita quod singule partes se habent materialiter tantum ad illam virtutem. » — Hae ille. — Simile ponit, 3 p., q. 78; art. 4, in solutione tertii, ubi sic dicit : « Verba quibus fit consecratio sacramentaliter operantur. Unde vis conversiva, que est in formis horum sacramentorum, seculatur significacionem, que in prolatione ultimae dictiois terminatur. Et ideo in ultimo instanti prolationis verborum praedicta verba consequuntur hanc ultimum, in ordine tamen ad praecedentia. Et haec virtus est simplex, ratione significati; licet in ipsis verbis exterius prolati sit quedam compositione. » — Hae ille. — In multis aliis locis ponit eandem sententiam. Ex quo patet responsio ad argumentum.

Cum autem dicit arguens, quod sacramentum non habet actionem suam naturalem in instanti, ergo nec supernaturalem; quia, secundum nos, etc.; — dicitur, quod sicut motus corporis non est in instanti, tamen mutatum esse ejus est in instanti; sic actio corporis, dato quod non esset tota simul in instanti, tamen aliquid ejus, puta actum esse, vel egisse, aut aliud ejus, indivisibile, se habens ad totam actionem sicut mutatum esse ad motum, vel instantis ad tempus, aut punctus ad linea, potest esse in instanti. Item: sicut sol illuminat in instanti, et sensibile causat aliquid in sensu in instanti; sic sermo, vel vox, potest causare in anima aliquid in instanti, puta completam significacionem orationis, presupposita prolatione praecedentium vocum aut syllabarum. Item: dato quod nec oratio, nec aliqua ejus pars divisibilis, nec aliquid ejus indivisibile orationem terminans, posset habere aliquam actionem naturam in instanti, cum hoc stat quod effectus ejus causatus in tempore remanet in instanti, puta abditio ex parte aquae, vel significatio plena ex parte verborum, aut aliquid huiusmodi ex tali prolatione derelictum; et hoc sufficit ad hoc quod possit virtute supernaturali, et actione supernaturali, agere in instanti.

Cum vero ulterius dicit arguens, quod fictio est dicere quod aliqua syllaba formetur in instanti, etc.; — dicitur ut prius, quod sicut motus localis non fit in instanti, sed in tempore, tamen indivisibile terminus motum, puta mutatum esse, fit ei habet esse in instanti; sic propositum alter, dato quod littera vel syllaba formetur in tempore, et non in instanti, tamen terminus ejus indivisibilis fit ei habet esse in instanti. Et hoc sufficit ad propositum, scilicet quod syllaba, secundum aliquid sui divisibile vel indivisibile, habeat esse in instanti.

Cum vero ulterius dicitur, quod si aliqua syllaba efficit totum effectum sacramenti, tunc illa sola est sacramentum, et aliae non faciunt ad sacramentum, etc.; — dicitur quod consequentia non valet; quia, sicut post latius dicitur, sacramentum habet significare et efficiere; et ideo, dato quod aliae syllabae nihil efficiant ad inductionem gratiae, tamen age-

rent ad complementum significationis sacramenti; et ita faciunt ad sacramentum, et ejus integritatem. Tamen non oportet ad hoc fugere: quia eo modo quo faciunt ad complementum significationis, agunt mediate vel immediate, complete vel dispositive, ad effectum sacramenti, qui sequitur completam significationem totius orationis.

Cum vero ulterius dicitur, quod ultima syllaba non potest agere in virtute praecedentium, quia ex illis nihil relatum est, etc.; — dicitur quod falsum est: quia, sicut recitatum est ex dictis sancti Thomae (4. *Sentent.*, dist. 8, q. 2, art. 3, ad 6^{um} et 7^{um}; et 3 p., q. 78, art. 4, ad 3^{um}), praecedentes syllabae reliquerunt partiales significaciones, que se habent ad totalem significationem totius orationis sicut dispositiones. Et ita patet quod tota deductio hujus argumenti; etsi multum videatur habere apparentie, tamen vacua est, apud recte considerantes, veritatis et existentiae; sicut postea ex dictis Petri de Palude melius ostendetur.

Ad tertium dicitur quod in sacramento Eucharistiae ponenda est praedicta causalitas utroque modo, quam tangit arguens. Et ad hujus improbationem, dicitur primo, quod, licet species panis non agat instrumentaliter ad realem existentiam corporis Christi in sacramento, neque ad aliquam dispositionem praviam, adhuc (2) tamen verba consecrationis instrumentaliter attingunt ad aliquam dispositionem praviam transubstantiationi, non ordine temporis, sed naturae vel rationis. Et ad hujus improbationem, dicitur quod illa dispositio ad quam attingunt verba consecrationis Eucharistiae, non oportet quod sit qualitas aut accidentis positivum; sed forte est dispositio privativa, vel negativa; sicut expulsio unius forme a subjecto, est dispositio ad introductionem formae oppositae vel incompossibilis. Sic in proposito: imaginandum est quod verba sacramentalia, virtute divinitus collata, attingunt instrumentaliter in sacramento Eucharistiae ad hanc dispositionem, quod substantia panis desinat esse sub speciebus panis; non quidem ad hoc quod substantia illa desinat esse simpliciter, nec ad hoc quod transeat in corpus Christi; sed ad hoc quod non sit sub illis speciebus: ut, sicut per agens naturale, propria virtute, efficit quod materia, vel aliquod subjectum, aut passum, desinit informari aliquam forma substantiali vel accidentalis; ita, in hoc sacramento, verba consecrationis, virtute divinitus collata, ad hoc instrumentaliter pertingunt, quod species prius informantes substantiam panis aut vini, desinant predictam substantiam informare, et tollant predictam inherentiam accidentium ad totum praecedens; non autem quod faciant accidentia sine subjecto subsistere, nec ad hoc quod corpus Christi sit sub predictis accidentibus. Et ad hunc sensum

(2) adhuc. — ad hoc Pr.

videntur mihi intelligenda dicta sancti Thomae, 4. *Sentent.*, prima distinctione, q. 1, art. 4, q^{ta} 1; in solutione sexti, ubi sic dicit: « In transsubstantiatione, cum sit, quidam motus seu mutatione, duo sunt, scilicet recessus a termino, et accessus ad terminum. Verba igitur sacramentalia pertingunt instrumentaliter ad transsubstantiationem, quantum ad recessum a termino a quo; sed quantum ad accessum ad terminum ad quem, non pertingunt instrumentaliter, nisi dispositive, sicut accidit in aliis sacramentis. » — Hæc ille. — Item, 4. *Sentent.*, dist. 8, q. 2, art. 3, sic dicit, in solutione argumenti quinti: « Hæc virtus, inquit, agentis principalis respicit principaliter terminum ad quem. Sed virtus cause instrumentalis quandoque non attingit ad terminum ad quem, sed habet operationem suam in his que sunt circa terminum; sicut qualitates activæ elementares non attingunt ad animæ rationalis introductionem. Et similiter hic contingit: quia virtus illa instrumentalis que est in verbis, habet operationem suam supra substantiam panis, quia *verbum ad elementum accedit ut fiat sacramentum*, secundum Augustinum (traet. 80 sap. Joan.); non est autem aliquo modo causa eorum que sunt in termino ad quem, sicut quod sunt accidentia sine subjecto, vel aliquid hujusmodi. » Et simile ponit in multis aliis locis. Ex quibus patet quod illa dispositio ad quam, pertingunt instrumentaliter verba consecrationis Eucharistie, non est subjective, neque in corpore Christi, neque in substantia panis aut vini, sed potius in speciebus remanentibus. Efficiunt enim quod hujusmodi species desinant informare proprium et primum subjectum, et quod substantia panis aut vini non sit sub eius, et quod dispositio praecedens informatio et intusio.

Dicitur secundo, quod, sicut arguens non reputat fictionem, quod haec verba, *Hoc est corpus meum*, sint causa *sine qua non* conversionis panis in corpus Christi, potius quam alia verba; ita nullus catholicus debet reputare fictionem, sed potius veritatis expressionem, quod praedicta verba sint causa *per quam* instrumentalis et dispositiva ad dictam transsubstantiationem.

Dicitur tertio, quod, in instanti completæ prolationis verborum, sonus tangit speciem panis aut vini aliquo tactu, aut corporali, aut intentionali vel virtuali, aut aliquo alio, sicut prius dictum fuit (ad 2^{um} Durandi, et ad 2^{um} Scoti); et idecirco tunc possunt agere. Dictum autem Philosophi intelligendum est de multiplicatione reali ipsius soni; quia illa fit in tempore, cum consequatur motum localem. Secus est de multiplicatione specierum et intentionum soni; quia illa potest fieri in instanti, sicut multiplicatio specierum colorum. Tamen, quidquid sit de hoc, sufficit quod in ultimo instanti verborum prolationis verba illa contingent speciem panis et vini aliquo contactu, nec requiritur quod sit corporalis,

ut prius dictum est (ad 2^{um} Durandi). — Item, posito quod requireretur contactus corporalis agentis instrumentalis ad species Eucharistie in transsubstantiatione, potest dici quod, in ultimo instanti prolationis verborum, licet sonus non tangat corporaliter Eucharistiam, tangit tamen aerem contiguum Eucharistie; et sic, eodem instanti, virtus datur sono, quæ multiplicata, per medium, in eodem instanti, pertingit ad hostiam, licet sonus in eodem instanti ad hostiam non pertingat. Idem enim est aerem tangere hostiam, ac si sonus eam tangeret, ex quo aer vèhit virtutem de sono ad hostiam. — Potest etiam dici, et forte verius, quod, cum dicit quod sacramenta sortimunt effectum in ultimo instanti complete prolationis verborum sacramentalium, illa completa prolatio intelligenda est quando verba, aut equipollens verbis, attingunt suscipientem sacramentum, vel materiam, et non ante. Et multis aliis modis illud sophisma potest declinari. Petrus tamen de Pahude sic dicit: « Si, verba essent antequam motus aeris devenerat ad illam rem in qua debet esse effectus, species soni, in eodem instanti, defertur ad illam rem cum qua subjective est virtus in aere; alias esset sine subjecto, et si sonus sit accidens, cuius subjectum est solus aer. » — Hæc ille. — Et reddit in idem cum prima solutione.

Dicitur quarto, quod, posito, sed non concesso, quod verba Eucharistie non haberent quamecumque efficaciam circa transsubstantiationem, adhuc stat quod species manentes post prolationem verborum habeant efficaciam instrumentalem dispositivam respectu gratiae inducendi in accidente digne ad sacramentum.

Ad quartum dicitur primo, quod ponere dispositionem ad gratiam causari per sacramenta novæ legis, non est superfluum, sed necessarium, si sacramenta dicantur esse aliquo modo causa gratiæ. Et cum dicit arguens, quod fictio est ponere in Eucharistia tamē dispositionem, etc.; — dicitur quod nos non ponimus aliquam dispositionem positivam inter species et existentiam corporis Christi, sicut dictum est supra (ad 3^{um}); ponimus tamen virtute specierum sacramentalium causari in digne accidente ad sacramentum dispositionem ad gratiam. Unde illud argumentum peccat per fallaciam consequentis. — Dicitur secundo, quod in sacramentis non imprimentibus characterem, imprimitur vel causatur ornatus disponens ad gratiam, sicut in sacramento poenitentie. Et ad rationem ad oppositum, — dicitur quod consequens finaliter illatum, non est inconveniens. Illud enim concedit sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 47, q. 3, art. 4, q^{ta} 1, ubi sic dicit: « Confessio est actus virtutis, et est pars sacramenti. Secundum autem quod est actus virtutis, est actus meritorius propriæ; et sic confessio non valet facta sine charitate, quæ est principium

merendi. Sed secundum quod est pars sacramenti, sic ordinat confitentem ad sacerdotem, qui habet claves Ecclesiae, qui per confessionem conscientiam confitentis cognoscit (α); et, secundum hoc, confessio potest esse in eo qui non est contritus; quia potest peccata sua sacerdoti innotescere, et clavibus Ecclesiae se subjicere. Et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen, recedente fictione, percipere incipiet, sicut etiam est in aliis sacramentis. Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit; sed tenetur postmodum suam fictiōnēm confiteri. » — Hæc ille. — Et similia ponit in aliis locis. — Dicitur tertio, quod nullum inconveniens esset dicere quod sacramenta non imprimentia characterem, in ficto talia suscipiente non causant aliquam dispositionem remanentem post susceptionem (β) sacramenti; sicut videtur dicere de sacramento Eucharistie sanctus Thomas, *4. Sentent.*, dist. 4, q. 3, art. 2, q^a 3, ubi arguit sic, tertio loco: « Sicut, inquit, aliquis ficte accedit ad baptismum, ita et ad sacramentum Eucharistie. Sed, recedente fictione, Eucharistie effectum non percipit, qui prius fictus accesserat. Ergo nec etiam recedente fictione, aliquis baptismi effectum percipit. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod in Eucharistia non imprimitur character, cuius virtute posset aliquis efficaciam sacramenti percipere, fictione recedente; et ideo (γ) non est simile. » — Hæc ille. — Si tamen ex hoc arguatur quod si sacramentum Eucharistie non causat dispositionem ad gratiam in accedente ficte, ergo nec in accedente congrue, et sine quaenamque fictione, et in dispositione contraria, — apparel quod est fallacia consequentis.

III. Ad argumenta Aureoli. — Ad primum Aureoli contra eamdem tertiam conclusionem, dicitur quod minor est falsa. Et ad ejus probationem, dicitur quod responsio ibidem recitata, bona est; et eam ponit sanctus Thomas (*4. Sentent.*, dist. 1, q. 4, art. 4, q^a 4; et dist. 8, q. 2, art. 3, ad 5^{am}), ut visum fuit supra (ad 3^{am} Scotti). — Et ad improbationem dictæ responsionis, dicitur quod responsio illa intelligenda est in secundo sensu, et non in primo, sicut superius visum fuit (ad 3^{am} Scotti). Et sic

Ad primam improbationem responsionis secundo modo intellectæ, dicitur, negando majorem, si generaliter intelligatur; potissime ad hunc sensum, quod, quacumque actione receditur a termino a quo, acceditur ad terminum ad quem, inductive et perfectissime. Si autem intelligatur quod, quacumque actione receditur a termino a quo, acceditur ad terminum

ad quem, dispositio, vel perfectio, aut quocumque modo, tunc major est vera; sed nec ipsa, nec conclusio illata, ad hunc sensum intellectæ, sunt ulla-tenus contra nos; concedimus enim quod virtus verborum consecrationis agit dispositio ad existentiam corporis Christi sub speciebus, non autem perfectio vel immediate terminum ad quem inducendo. Et sciendum etiam quod alia est mutatio qua desinit terminus a quo, et alia qua incipit terminus ad quem. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 28, art. 1, sic dicit: « Differentia est inter motum et mutationem. Nam motus unus est quo aliquid affirmative significatum abjicitur, et aliud affirmative significatum acquiritur: est enim motus de subjecto in subjectum, ut dicitur, 5. *Physicorum* (t. c. 9); subjectum autem intelligitur hic aliquid affirmative monstratum, ut album et nigrum; et ideo unus motus alteracionis est, quo album abjicitur, et nigrum acquiritur. Sed in mutationibus que sunt generatio et corruptio, aliud est: nam generatio est mutatio de non subjecto in subjectum, ut de non albo in album; corruptio vero est mutatio de subjecto in non subjectum, ut de albo in non album; et ideo in abjectione unius affirmati, et acceptione alterius, oportet esse duas mutationes, quarum una sit generatio, et alia corruptio, vel simpliciter, vel secundum quid. Si ergo in transitu qui est de albedine in nigredinem, consideretur ipse motus, idem motus significatur per ablationem unius et inductionem alterius; non autem significatur eadem mutatio, sed diversa; tamen se invicem concomitantes, quia generatio unius non est sine corruptione alterius. » — Hæc ille. — Ex quibus apparel quod cum alia mutatio sit qua abjicitur terminus a quo, et alia qua inducitur terminus ad quem, nil mirum si aliqua actio potest esse ad primum, que non erit ad secundum, nisi dispositio. *Ad secundam improbationem* predictæ responsionis, dicitur; negando primam consequentiam ibi factam. Non enim oportet quod, si verba sacramentalia agunt ad desinitionem panis sub speciebus, quod eorum actio sit annihilativa: quia, ut supra dictum fuit (ad 3^{am} Scotti), verba illa non agunt directe ad hoc quod substantia panis desinat esse simpliciter aut in se, sed ad hoc quod desinat esse sub speciebus sacramentalibus, et quod desinat esse informatio et inherentia illarum ad substantialiam panis; hoc enim non transcendit activitatem creature, cum per agens naturale possit tolli talis inherentia et informatio, ut cum de calido sit non calidum, et tamen non dicitur annihilare. Item, dato quod verba sacramentalia agant instrumentaliter ad desinitionem formæ substantialis panis, non propter hoc actio illa erit annihilativa; quia agens naturale propria virtute naturali hoc posset facere, sicut patet de virtute digestiva animalis convertentis panem in carnem. Et forte in proposito verba sacramentalia

(α) cognoscit. — cognovit Pr.

(β) susceptionem. — simptionem Pr.

(γ) ideo. — Om. Pr.

agunt ad desinitionem formae substantialis panis. Non tamen credo quod agant ad desinitionem materiae; quia solus Deus hoc potest. Agunt tamen, ut dixi, ad hoc quod panis et quelibet ejus pars essentialis desinat esse sub speciebus. — Utrum autem debeat concedi quod substantia panis desinat esse in hoc sacramento? Dicitur quod sic. Nam sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 11, q. 1, art. 2, arguit sic, tertio loco: « Si unum contradictiorum est falsum, reliquum de necessitate erit verum. Sed, facta conversione, haec est falsa, *Panis est aliquid*, vel, *De pane est aliquid*. Ergo haec est vera, *Nihil est de pane*. Ergo panis est annihilatus. » Eece argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, quamvis panis non sit aliquid, tamen illud in quo panis est conversus, est aliquid, conversione facta; et ideo non sequitur quod panis sit annihilatus. » Hec ille. — Item, quarto loco, arguit sic: « Illud dicitur annihilari, quod nec in se neque in alio manet. Sed panis substantia non manet in se, facta conversione; neque manet in corpore Christi, quia sic corpus Christi augeretur. Igitur penitus annihilatur. » Eece argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, quamvis non maneat (2) panis in se, neque in alio, manet tamen corpus Christi, in quod conversus est; et ideo non sequitur quod sit annihilatus. » Idem ponit in 3 p., q. 75, art. 3, in solutione primi et tertii. Ex quibus apparet quod secure potest dici et asseri quod in consecratione Eucharistiae substantia panis desinit esse. Et hoc iterum patet per expositionem hujus verbi *desinit*. Ille enim copulativa est vera: *In ultimo instanti prolationis verborum sacramentalium, substantia panis prius existentis sub his speciebus, nunc non est; et eadem substantia immediate ante hoc instantis fuit*.

Ad tertiam improbationem predictae responsionis, dicitur quod deficit in duobus. Primo, quia supponit quod verba sacramentalia non possint aliter agere in Eucharistia, quantum ad terminum a quo, nisi causando desinitionem simplicem substantiae panis; hujus autem oppositum superius est ostensum (ad 3^{am} Scotti; et hic, ad 2^{am} improb.). Secundo, quia assumit unam falsam conditionalem et consequentiam, scilicet quod, si verba sacramentalia agant ad hoc quod Deus subtrahat influxum ad esse panis; (6) etiam possint agere ad hoc ut subtraheret influxum alterius creature ad esse. Patet enim quod ista conditionalis non habet aliquam apparentiam; quia verba sacramentalia ordinantur ad conversionem et transubstantiationem panis, non autem lapidis aut ligni; nec applicantur tanquam instrumentum a Deo principali converte ad conversionem lapidis, sed panis et vini.

(2) maneat. — manet Pr.
(6) quod. — Ad. Pr.

Conceditur tamen quod Deus posset conferre virtutem conversivam lapidis in corpus Christi aliquibus verbis, sicut contulit verbis sacramentalibus virtutem conversivam panis et vini in corpus et sanguinem Christi. — Ad confirmationem, dicitur primo, quod contradicit verbis precedentibus, ubi negabat desinitionem substantiae panis, quam hic asserit. Dieo secundo, quod opinio nostra non ponit quod verba sacramentalia agant ad totalem desinitionem substantiae panis, sicut arguens false putat; sed, ut sape dictum est, agunt instrumentaliter ad desinitionem formae substantialis panis, vel ad desinitionem informationis et inherentiae specierum panis et vini ad sua subjecta precedentia. Non autem ponimus quod agant ad desinitionem materiae. Sicut enim, in mutationibus naturalibus, duas formae substantiales, aut accidentales, succedunt sibi invicem in eodem subjecto; ita, in transubstantiatione sacramentali, duas substantiae succedunt sibi sub eisdem accidentibus, licet talia accidentia non inherent secundie substantiae sicut inherebant prime. Et de hac successione sanctus Thomas, 3 p., q. 75, art. 8, diffuse loquitur; et, 4. *Sentent.*, dist. 11, q. 1, art. 4.

Ad quartam improbationem illius responsionis, concessis duabus suppositionibus ibi positis, dicitur quod actio verborum sacramentalium qua agunt ad desinitionem formae substantialis panis, vel ad desinitionem inherentiae et informationis accidentium ad substantiam panis, vel ad hoc quod substantia panis desinat esse sub accidentibus, duo importat, sicut et quelibet actio corruptiva. Primum est forma que per talen actionem abhicitur; secundum est habitudine de genere actionis. Et quidem, quantum ad secundum, est subjective in agente, puta in verbis sacramentalibus, non autem in passo, puta substantia panis, vel in corpore Christi. Sed quantum ad primum, puta desinitionem formae, vel quoad ipsam formam desinentem, quaecumque illa sit, non habet quocumque subjectum, proprie loquendo: cum talis forma desinat in instanti tota simul, et, pro illo instanti quo desinit, ipsa non sit, et primo non sit, vel incipiat non esse; forma autem desinenti esse, et incipienti non esse, non oportet assignare subjectum, cum nihil sit; potissimum quia non solum talis forma, in proposito nostro, et de qua loquimur, desinit esse, immo etiam summum subjectum desinit esse, licet non per actionem verborum sacramentalium, sed solius Dei. Licet autem predicta actio non habeat subjectum, non tamen est subsistens: quia nihil est, vel non est aliquid; et sic nec est inherens, nec subsistens, sed purum non ens; sicut corruptio lucis in aere est non ens, scilicet (2) ipsa lux corrupta, licet habeat subjectum illo modo quo negatio vel privatio habet subjectum.

(2) scilicet. — Om. Pr.

Nec mirum si omnia ista, vel multa ex illis, sint miraculosa : quia creatura bene potest concurrere effective instrumentaliter ad opus miraculi; sicut ostendit sanctus Thomas, *de Potentia Dei*, q. 6, art. 4; et, 2^a 2^e, q. 478, art. 1. Et de hoc fuit in *Tertio* (dist. 15, q. 1) diffusus dictum. — De responsione vero quam arguens recitat, et de ejus improbatione, non oportet laborare : quia non ponimus quod substantia panis desinat illo modo quem arguens fingit, puta quod sit dare ultimum instans esse panis; sed potius primum instans sui non esse. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 75, art. 7, in solutione primi, sic dicit : « Hae conversio perficitur per verbū quae a sacerdote proferuntur; et ita ultimum instans prolationis tverborum est primum instans in quo est in sacramento corpus Christi. In toto autem tempore precedente, est ibi (α) substantia panis. Cujus temporis non est accipere aliquod instans proximo precedens ultimum; quia tempus non componitur ex instantibus consequenter se habentibus, ut probatur in 6. *Physicorum* (t. c. 76). Et ideo est dare quoddam instans in quo primo est ibi corpus Christi; non est autem dare ultimum instans in quo sit ibi substantia panis, sed est dare ultimum tempus. Et idem est in mutationibus naturalibus, ut patet per Philosophum, in 8. *Physicorum* (t. c. 72). » — Hec ille. — Et similia dicit, 4. *Sentent.*, dist. 11, q. 1, art. 3, q^a 2, in solutione secundi. — Quod autem predicta superius sint de mente sancti Thomae, potissimum qualiter actio verborum habeat subjectum vel non, appareat. Ipse quidem, 4. *Sentent.*, dist. 8, q. 2, art. 3, in solutione secundi, sic dicit : « Virtus creata presupponit materiam in qua operetur. Quod quidem contingit esse duplice. Uno modo, ita quod sit mutationis subjectum; sicut accidit in conversionibus naturalibus. Alio modo, ita quod subit termino a quo, non autem mutationi; sicut accidit in dicta mutatione. Sed creatio neutro modo materiam praesupponit. Et ideo magis potest aliquid Deo cooperari (6) instrumentaliter in hac conversione, quam in opere creationis. » — Hec ille. — Ex quo patet quod illa mutatio non habet subjectum; et per consequens, nec actio verborum, ex ea parte qua est eadem motui vel mutationi. Qualiter autem actio et passio sint unus et idem motus, et qualiter motus et mutatio sint idem quod forma acquisita vel perditā per motum, diffuse visum fuit in 2. *Sentent.*, in prima distinctione (q. 2).

Ad secundum principale, negatur antecedens. Et ad ejus probationem, dicitur quod nostra positio melius salvat efficaciam et activitatem sacramentorum novae legis, quam opposita opinio ponens ea esse causas *sine quibus non*, et nihil penitus effi-

cere in anima ad collationem et susceptionem gratiae. Tunc, ad primam rationem in oppositum, dicitur, negando principalem minorem, scilicet quod character, vel ornatus quem ponimus causari instrumentaliter effective per sacramenta, non sit magis ex natura rei dispositio ad gratiam quam extrinseca natura vel operatio sacramenti, puta ablutione vel unctione. Cujus ratio multiplex posset assignari : potissimum quia totaliter appetit improbabile quod dispositio ultimata ad gratiam sit subjective in corpore exteriori; et quod sacramentum novae legis non causet aliam dispositionem ad gratiam quam hujusmodi exteriorum ablutionem vel unctionem, quam posset facere sacramentum veteris legis, vel alia res corporea que nullo modo est sacramentum; vel quod aliquid sit dispositio ad gratiam, quod potest esse subjective in asino vel in lapide.

Tunc ad primam probationem hujus minoris jam negatae, dicitur, negando consequentiam ibi factam; non enim oportet quod quicunque habet gratiam, habeat characterem. Et cum dicitur quod habens formam in summo, etc.; — dicitur quod hoc est verum loquendo de dispositione convertibili cum forma ad quam disponit, sic scilicet quod forma non potest haberi sine tali dispositione, nec econtra dispositio sine forma; character autem non sic est dispositio ad gratiam, et praesertim quia non disponit ad gratiam de proximo et directe, sed ad aliquid aliud. De hoc beatus Thomas, 3 p., q. 63, art. 4, in solutione primi, sic dicit : « Subjectum alieni accidenti (α) attribuitur secundum rationem ejus ad quod propinquè disponit, non autem secundum rationem ejus ad quod disponit remote vel indirecte. Character autem directe quidem et proxime disponit animam ad ea que divini cultus sunt exequenda. Et quia haec idonea non sunt sine auxilio gratiae, quia ut dicitur, Joan. 4 (v. 24), *cos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*, oportet ex consequenti quod divina largitas recipientibus characterem gratiam largiatur, per quam digne impleant ea ad quae deputantur. Et ideo characteri magis est attribuendum subjectum secundum rationem actuum ad divinum cultum pertinentium, quam secundum rationem gratiae. » — Hec ille. — Item, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 1, art. 1, arguit sic, in quarto et. (6) quinto loco : « Ea que sunt in sacramentis novae legis, ordinantur ad gratiam causandam. Sed character non videtur posse causare gratiam; quia multi characterem habere dicuntur, qui carent gratia. Ergo non videtur in sacramentis aliquis character imprimi. Si pleatur quod est dispositio ad gratiam, — Contra : Agens infinitum non requirit materiam dispositam; cum ergo gratia sit ab agente infinite virtutis, videtur

(α) *ibi.* — in Pr.

(6) *cooperari.* — *comparari* Pr.

(α) *accidenti.* — *activitati* Pr.

(6) *quarto et.* — *Om. Pr.*

quod non oportet characterem dari in sacramentis ad disponendum ad gratiam. » Eece argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod character est dispositio ad gratiam per quamdam congruitatis dignitatem. Ex hoc enim ipso quod homo mancipatus est divinis actionibus, et inter membra Christi connumeratus, fit ei quedam congruitas ad gratiam suscipiendam : quia Deus perfecte in sacramentis homini prouidet; unde simul cum charactere, quo datur homini ut possit exercere actiones spirituales fidelium, vel passiones seu receptiones, datur gratia, qua hoc bene possit. » — Hae ille. — Ex quibus patet quod character directe et proxime disponit ad aliud quam ad gratiam. — Ulterius, sciendum quod character non est dispositio nisi ad gratiam participatam et imperfectam, et est dispositio annexa imperfectioni ; ideo non competit Christo. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 63, art. 5, sic dicit : « Character sacramentalis est quedam participatio sacerdotii Christi in ejus fidelibus : ut scilicet, sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles ejus ei configurentur (2) in hoc quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum et eorum que pertinent ad divinum cultum. Et propter hoc etiam Christo non competit habere characterem ; sed potestas sacerdotii ejus comparatur ad characterem sacerdotum, sicut illud quod est plenum et perfectum, ad aliquam sui participationem. » — Hae ille. — Item, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 4, art. 3, q^a 5, sic dicit : « Quidam dicunt quod Christus non habuit characterem baptismalem, quia a baptismō nihil accepit ; habuit autem characterem ordinis, qui pertinet ad quemdam eminentie statum. Sed melius est ut dicatur quod Christus nullum characterem habuit : quia ipse habuit potestatem plenitudinis in sacramentis, quasi ea instituens, et eis efficaciam praebens ; unde, sicut poterat inducere effectum sacramenti in aliquo sine sacramento exteriori, ita ex parte ipsius non requirebatur aliquod sacramentale interius. » — Hae ille. — Ex quibus apparet quod licet character sit dispositio ad gratiam, non tamen convertibilis et adequata ; et ideo non sequitur quod Christus haberet characterem, quamvis haberet summam gratiam.

Ad secundam probationem principalis minoris, patet per praedicta. Quia character non est dispositio ad gratiam, ex natura rei, convertibilis et adequata, sed per quamdam congruentiam, et ex consequenti, et remote. Proxime autem disponit ad aliqua que antiquis patribus nullatenus congruebant ; et ideo characterem non haberunt. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 4, art. 4, q^a 1, sic dicit : « Sicut dicit Philosophus, 2. *Ethicorum* (cap. 2), virtus ex quibus innascitur, ea

operatur, loquens de virtute acquisita ; et similiter in omnibus virtutibus que ex aliquibus actibus aliquo modo causantur. Unde, cum character sit virtus, seu potentia spirituialis, ad sacramentales actiones ordinata, si ex aliquo quod per nos fiat, imprimi debeat character, oportet quod per sacramenta novae legis imprimatur, et per ea tantum, quia ad illas actiones tantum directe illa potentia ordinatur. » — Hae ille.

Ad tertiam probationem ejusdem minoris, patet ex dictis : quia procedit de dispositione convertibili et adequata ; character autem non est talis dispositio.

Ad quartam probationem, negatur antecedens, si intelligatur de gloria et beatitudine que est actus secundus, scilicet visus et fruitio : quia gratia est subjective in essentia animae, gloria vero, vel beatitudo, que est actus secundus, recipitur in anima mediantibus suis potentias, que sunt intellectus et voluntas : et ita non eodem modo recipiuntur in anima. De hac materia plura dicta sunt, 2. *Sentent.*, (dist. 26, q. 1); et de hoc plura suo loco dicentur in sequentibus. Ratio vero in oppositum addueta, magis est ad oppositum quam ad propositum : quia imago Trinitatis non attenditur in anima immediate ratione essentiae, sed ratione potentiarum, vel habituum, vel actuum, secundum quod ostendit sanctus Thomas, 1 p., q. 93, art. 7. — Item, concessa consequente illius argumenti, nihil habetur contra nos : quia nos non ponimus quod character sit talis dispositio que mediet subjective inter gratiam et essentiam anime ; immo sanctus Thomas ponit quod gratia est subjective immediate in essentia anime, character vero in intellectu, vel voluntate, sicut apparet; 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 1, art. 3, in solutione prime quaestione, ubi sic dicit : « Natura proportionaliter spiritualitati substermitur, sicut perfectibile perfectioni. Unde, sicut gratia, que est spiritualis vite principium, est in essentia anime sicut in subjecto ; ita et character, qui est spiritualis potentia, est sicut in subjecto in naturali potentia anime, et non in essentia anime, nisi mediante potentia. » — Hae ille. — Item, ibidem, arguit sic (arg. 1) : « Dispositio et habitus sunt in eodem subjecto. Sed character disponit ad habitum gratiae. Cum ergo gratia sit in essentia anime sicut in subjecto, videtur quod etiam character. » Eece argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod dispositionem esse in eodem subjecto cum eo ad quod disponit, non est necesse, nisi quando dispositio postea fit perfectio : sicut scientia que prius fuit dispositio, postea fit habitus ; et ideo dispositio que est scientia, et habitus qui est scientia, sunt in eodem subjecto proximo. Non autem oportet hoc quando dispositio et perfectio differunt per essentiam ; sed possunt esse in diversis subjectis ; et præcipue quando illa habent ordinem ad

(2) *ei configurentur*. — *et configurantur* Pr.

invicem : sicut operatio sensibilis, est dispositio ad intelligibilem operationem; et similiter character est dispositio ad gratiam. » — Hae ille.

Ad confirmationem, dicitur quod dispositio que est necessitans (α) ad formam, potest esse duplex : quedam que importat omne positivum et omne negativum necessarium ad inductionem forme; alia vero est, que includit omne positivum, sed non omne negativum, vel privativum, puta remotionem omnis obicit et impedimenti. Loquendo de prima dispositione, major argumentum est vera. Sed argumentum in hoc sensu non procedit contra nos : quia non dicimus quod character sit illo modo dispositio que est necessitas; quia, licet character includat omne positivum necessarium ad gratiam, non tamen omne privativum, puta remotionem fictionis, aut peccati mortalis; immo stat eum illo. Loquendo vero de dispositione secundo modo dicta, negatur major argumentum, et conceditur quod character est illo modo dispositio que est necessitans ad gratiam. Et quod dicta distinctio sit ad mentem sancti Thomae, patet; quia, 4. *Sententia*, dist. 4, q. 3, art. 2, q^a 2, sic dicit : « Ad hoc quod aliquid effectum alienus agentis percipere debeat, oportet quod se habeat in debita dispositione ad causam agentem, et ad effectum perecipiendum. Et ideo indispositio voluntatis, quae ultimum effectum baptismi impedit, est duplex : una secundum ordinem ad sacramentum ipsum; alia secundum ordinem ad effectum sacramenti. Ad ipsum autem sacramentum, contingit voluntatem esse indispositam dupliciter : uno modo, per subtractionem necessarii; alio modo, per positionem contrarii. Similiter, per comparationem ad effectum baptismi, oportet quod disponatur aliquis adhibendo necessarium, et removendo contrarium, etc. » — Hae ille. — Ex quibus patet quod perfecta dispositio que est necessitans (6) simpliciter ad formam, duo requirit : scilicet remotionem contrarii, et positionem necessarii. Quod autem character sit dispositio secundo modo, et non primo modo, satis patet. Unde sanctus Thomas, 4. *Sententia*, dist. 4, q. 1, art. 1, in solutione quarti, sic dicit : « Character est causa sacramentalis gratiae; et quod quidam cum charactere gratiam non recipiunt, est ex eorum indispositione ad gratiam suscipiendum. » — Hae ille. — Item, q. 3, art. 2, q^a 3, sic dicit : « In baptismino imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam; et ideo, cum fictio characterem non auferat, recedente fictione, que effectum characteris impediens, character, qui est praesens in anima, incipit habere suum effectum; et ita baptismus, recedente fictione, effectum suum consequitur. » — Hae ille.

(α) *necessitans*. — *necessitas* Pr.

(6) *necessitans*. — *necessitas* Pr.

Patet ergo, ex omnibus supradictis, quod character est dispositio ad gratiam, non solum ex divino beneplacito formaliter, verum etiam aliqualiter ex natura rei, per modum cuiusdam congruentie; licet non sit dispositio convertibilis et adequata ipsi gratiae, nec disponat immediate, proxime et directe ad gratiam, sed ad aliquos actus qui non possunt congrue exerceri sine gratia. Patet similiter quod non ita probabiliter ponitur quod sola operatio exterior naturalis sacramenti sit totalis dispositio ad gratiam causata per sacramentum, sicut de charactere vel ornato causa in anima; et quod positio Areoli non ita bene salvat activitatem vel causitatem sacramentorum respectu gratiae sicut opinio nostra. Et consequenter prima ratio pro principali assumpto secundi principalis argumenti non procedit.

Similiter nec secunda ratio pro eodem assumpto valet. Cum enim dicit quod positio nostra non salvat efficaciam sacramentorum nisi cum multis et pluribus pactis quam opinio opposita, etc.; — dicitur quod omnia pacta que positio nostra ponit, sequuntur ex dictis Sacrae Scripturae, vel Sanctorum, aut Doctorum, aut ex recta et probabili ratione. Opinio vero contraria negat pacta sequentia ex predictis; immo est improbabilior, et minus consona dictis Sanctorum. — Dicitur secundo, quod opinio contraria tot et forte plura pacta habet ponere quam nostra. Primo namque habet ponere tale pactum, quod, verbo accidente ad elementum, divina virtus agit in suscipiente sacramentum. Secundo, quod, in casu posito de tribus hostiis coram sacerdote, divina virtus solum agit in illam ad quam dirigitur intentio sacerdotis. Tertio, quod in baptismino divina virtus non confert effectum sacramenti, vel gratiam, quousque verborum prolatione et aquae ablutione sint complete. Quarto, quod habenti ablutionem baptismi divina virtus confert gratiam. Et ita tot pacta habet ponere opinio contraria ex parte divinae virtutis assistentis, quot nostra ex parte virtutis inherentis sacramentis. — Dicitur tertio, quod ex positione nostra nulla inconvenientia sequuntur, sicut supra patuit. Ex opinione autem contraria multa sequuntur, sicut ostendit sanctus Thomas in probatione duarum ultimarum conclusionum, et etiam sicut supra deductum fuit : puta quod sacramenta nullam spiritualem dispositionem causant plus quam sacramenta veteris legis, nec plus quam aqua qua abluitur caput asini, aut oleum quo unguntur solulares; et ulterius, quod baptismus, aut confirmatio, non confert suscipienti quaecumque dispositionem, ejus similibus non sit capax creatura irrationalis. Et multa alia deliramenta, salva reverentia taliter opinantium, ex illa opinione sequuntur. — Dicitur quarto, ad primam confirmationem, quod ultima syllaba verborum sacramentalium causat effectum sacramenti, et non

precedentes. Cuius causa superius dicta et assignata fuit (ad 2^{um} Scoti) : quia tunc est completa significatio totius orationis, et non prius. Nec valet quod dicitur de novo pacto; quia consimile pactum habet ponere opinio contraria, ut supra dictum est. — Dicitur ergo ad secundam confirmationem, quod virtus collata verbis sacramentalibus est subjective in vocibus et sonis verborum uno modo, sed alio modo est subjective in eodem subjecto in quo est vox vel sonus. Nec valet quod dicitur, qualitatem non esse subjectum qualitatis. De hoc sanctus Thomas, *de Virtutibus*, q. 1, art. 3, sic dicit : « Subjectum tripliciter comparatur ad accidentem. Uno modo, sicut prebens ei sustentamentum : nam accidens per se non subsistit, fulcitur vero per subjectum. Alio modo, sicut potentia ad actum : nam accidenti subjicitur, sicut quedam potentia suo actu; unde et accidens forma dicitur. Tertio modo, sicut causa ad effectum»: nam principia subjecti sunt principia per se accidentis. Quantum ergo ad primum, immo accidens subjectum alterius esse non potest : nam cum nullum accidens per se subsistat, non potest alteri sustentamentum praebere; nisi fortasse dicatur quod, in quantum quod est a subjecto sustentatum, aliud accidens sustentat. Sed quantum ad alia duo, unum accidens se habet ad aliud per modum subjecti : nam unum accidens est in potentia ad alterum, sicut diaphanum ad lucem, et superficies ad colorem; unum etiam accidens potest esse causa alterius, ut humor saporis. Et per hunc modum, unum accidens dicitur esse subjectum alterius accidentis : non quod accidens possit alteri accidenti sustentamentum praebere; sed quia subjectum est receptivum unius accidentis, altero mediante. Et per hunc modum dicitur potentia animae esse subjectum habitus : nam habitus ad potentiam animae comparatur ut actus ad potentiam, cum potentia sit indeterminata, quantum est de se, et per habitum determinetur (2) ad hoc vel illud; ex principiis etiam potentiarum habitus acquisiti causantur. Sic ergo dicendum est potentias animae esse virtutum subjecta; quia virtus inest animae, mediante potentia. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod una qualitas potest dici subjectum alterius qualitatis.

Ad tertium principale, negatur principale assumptum, scilicet quod instrumenta non recipiant a principali agente aliquam virtutem, sed solum motum localem. Et ad probationem, dicitur quod similitudo inducta de motu locali et aliis motibus valde inepte applicatur ad propositionem; quia similitudo, si debite applicetur, falsum assumit, vel nihil contra nos concludit. Quod patet. Si enim intendat sic arguere : Sicut est in aliis motibus, etc.; sed, in illis motibus, puta qui sunt ad formam, forma inducta per agens vel movens non agit nec expellit

aliam formam effective, sed solum formaliter; ergo, a similis, in motu locali, ubi acquisitum ipsi mobilis per suum movens, non expellit aliud ubi ab eodem subjecto effective, sed formaliter, — tunc ratio bene concludit, sed non contra nos. Item, si arguitur sic: Sicut est in aliis motibus, sic est in motu locali; sed, in aliis motibus, mobile non agit nec expellit aliud mobile effective, sed tantum formaliter; ergo, in motu locali, mobile non agit nec expellit aliud mobile effective, sed solum formaliter, — patet quod similitudo directe procedit, et consequentia est bona; sed minor est falsa, sicut patet, quia ignis calefacit aerem, et aer manum; ideo nil mirum si conclusio sit falsa. Si vero intendat sic arguere: Sicut est in aliis motibus, etc.; sed, in aliis motibus, forma non agit effective, sed solum formaliter; ergo, in motu locali, mobile non agit effective, sed formaliter, — appareat quod similitudo false applicatur: quia in una propositione comparatur forma ad formam, et in alia mobile ad mobile; que similitudo nulla est; quia alio modo se habet mobile ad mobile, quam forma ad formam, quantum ad hoc quod est movere, vel agere, vel expellere effective; quia forme inherenti, et nullatenus subsistenti, non competit agere effective, sed mobili motu locali, enjusmodi est baculus, vel serra, aut aliud instrumentum artis, potest competere agere, et movere, et expellere aliud corpus de loco suo et de suo ubi, non quidem solum formaliter, immo etiam effective, et per virtutem impressam a movente. Unde haec est expresse mens Philosophi et sui Commentatoris, 8, *Physicorum*, part. 82, ubi Aristoteles, loquens de motu projectorum in aere aut aqua, sic dicit: *Primus motor est qui hoc facit: verbi gratia, qui moret aerem, aut aquam, aut aliud quod natum est moveri et morere. Sed non debet simul quiescere ab hoc quod moveat et moreatur; immo cessat moveri, ab hoc quod moreatur, cessante ejus motore a motione, et postea remanet morendo. Unde unum (2) moret aliud sibi succedens, et procedit istud aliud etiam (3) hoc eodem processu. Motus autem illius quiescit, cum virtus morendi diminuitur in successione paulatim; et ultimo cessat, quando motor penultimus pervenit ad hoc quod nihil agat, sed solum moretur (4).* — Haec Aristoteles. — Ubi Commentator sic dicit: « In motu aquae a lapide projecto in illam, videmus partem que sequitur lapidem moveri undique; deinde transfertur motus ab illa parte ad partem consequentem; deinde illa ad aliam, quousque cesseret. Partes tamen aquae non simul moventur, sicut moventur partes figurati corporis. Et hoc patet in circulis qui in aqua sunt, quando lapides cadunt in

(2) *determinetur.* — *Om. Pr.*(3) *etiam.* — *et Pr.*(4) *moreatur.* — *moreat Pr.*